



L66. 60.


18

HERMANNI von der Harde  
**PROGRAMMA**  
IN  
**ABENESRAM**  
*PUBLIC RECENSENDVM*  
JEREMIA RECENSITO ET JOBO  
EXPECTATO.

---

HELMSTADII  
LITERIS HAMMIANIS.  
A. MDCCXII.

HERMANNIUS  
PROGRAMMA  
IN  
BRUNNEN  
PUDICAE RECENSATIO ET IODO  
TERREMI REGENSIS ET TUBO  
THERMOTATO  
LITERIS HAMMAMENS  
A. MICCI



HERMANNVS von der Wardt  
Philologis auditoribus  
S. D.

Dignum vestro & Academiae nomine *Fontium sa-*  
*crorum studium*, cui incumbitis sedulo animoque  
indefesso. Recordamini, quam frequenter, pu-  
blice & privatim commemoraverim, omnem *Evange-*  
*licæ Ecclesiæ lucem*, quâ Dei beneficio & Lutheri cu-  
râ fruimur, *Philologiæ* deberi, quam *Erasmus*, *Reuch-*  
*linus*, *Melanchthon*, cum amicis excoluerant. Hujus  
operâ boni autores, *Græci* & *Latini*, è pulvere situque  
in lucem producti, illustrati, & manibus nostris tradi-  
ti. *Philologia* sermonis indolem demonstravit, anti-  
quorum scriptorum stylum explicuit, os pœtusque ve-  
terum aperuit, nativam quoque interpretandi ratio-  
nem tradidit: Verbo; *Bonas literas* & *humanitatis ve-*  
*ræ decus* orbi nostro commendavit. *Antiquitatis remo-*  
*tæ* faciem, ex *geographia* & *historia*, masculæque inter-  
pretationis naturam, simulac post longas tenebras vide-  
re cœpit Europa, *Fontes* mox etiam *sacros* promisit, *squa-*  
*rem*

lorem detersit, inspexit, & mirari, gaudere, ac recensere non destitit. Humaniorum literarum præsidio atque adjumento veritas prisca, in humanis & divinis rebus, artibus & scientiis quibuscumque, animadversa & detecta. Alii quodammodo sumus facti, humanitatis suscitatae industria & arte. Respublica, forum, Ecclesia, civitas, perpolita, pro priori neglectu nec exigua barbarie. Partis frui, jucundum: Sed illa tueri & conservare, difficile. Obstant vehementer, dulcis otii parti voluptas, blanda quietis paratæ persuasio, majoris lucis tantum non fuga, somnolenta certe pergendi ac proficiendi cupidio. Non opus nodofo Fontium studio, quos nec Judæi capiant, præ nimis remota antiquitate, styli asperitate, linguarum tricis, scrupulorumque numero. Quiescat non infeliciter, qui bonis utatur vehiculis & carpentis. Horum apparatus, prælargus & prægrandis, tam numero quam compositione, talos defatigari non finat. His rotis & trahis commode proceditur, cum parvo temporis dispendio. His lecticis ferare lenissimè, ut indormire his quoque contingat effedis. O boni! Et equi seffores excutiant. Succutiunt certe. Et effedarii labuntur, & currus minantur, vectumque vel in somno præcipitan cœnoque mergunt. Satius & tutius, Mosis, Prophetarum & Apostolorum firmis uti talis, quibus nitamur. Veritas divina nec agnoscitur nec propagatur, nisi Fontium luce. Quam gaudeo subinde, Vos, Carissimi, his probe cognitis, urgere quotidie & impense Philologiae præficia, Fontium, Prophetarum in primis, recensionem curatam, Geographiae & historiæ antiquæ vestigia, afferuum

etuum motum, sermonis denique prisci vim & pondus. Superiori anno, pro votis vestris & enixo desiderio, Volumen Jeremiae, septuaginta propemodum libellos complexum, illo ordine, quo scripti singuli, recensui publice. Placere vobis Jeremiam, Fontium fulgorem, philologicæ operæ amplitudinem, nativæ interpretationis virtutem, fructuum ubertatem, ardore testati vestro. Nec præ cupidine veriti, vivæ recensioni novum exposcere adjumentum ex privato calamo. Nec intermisisti, ne quid in tanto libellorum numero restaret, reliquum blando ore domi extorquere. Quin in hanc horam, si quid addendum, à meo in vos affectu rigidi exigitis. Quam laudabilem contentionem absentes etiam viri inclyti & illustres in vobis animadverterunt ac æstimarunt. Effecerat serena hæc frons vestra, ut Jobum subjungere Jeremiae animus esset. Quod perarduum Hebraicæ gentis opus, non tam fatis quam orationis difficultate formidandum pene, laborem poscit ferreum. Qui cum fine superioris anni Jeremiam læti ad finem deduxeramus, Jobum his diebus, & proximis mensibus æstivis, calidi jam recenseremus. Sed incidere, quæ æstum temperarent, Jobique querulæ voci aërem tantisper indulgerent, donec intervallum quoddam Judaicis doctoribus, Kimchio, Aben Efræ, Raschio & Abarbaneli esset datum. Ægre alibi tule-re viri quidam magni hanc Jobo reliqtam moram, qui solatio indigeret maxime, quod ab affinibus suis, ex Moabitide, Ammonitide, Idumæa & Syria, expectaret frustra. Sed longa Jobi patientia vincat operosas commentantium confabulationes. Viris doctrinâ & dignitate

tate magnis, qui nostrarum rerum explorarent usum, de mora Jobi sollicitis, respondi, & spem alui. Ne quid & horum vos lateat, Amici, aliquas vobis communicabo epistolas, quas in *Jeremiæ abitum* & *Jobi adventum* mihi tunc expresserunt, qui tantarum rerum æqui sunt censores, viri spectabiles. Et ex his cognoscetis, quæ uberiorem *Jeremiæ* vestro affundant lucem, quam adeo cupide quæritis.

Epistola  
De *Jeremia* & *Jobo* jungendis.  
*Vir Illustris.*

**Q**ui in foro versaris celso longeque operosissimo, in splendore curiæ, *Jeremiæ prophetæ* non potes deminisse? Academiis & suggestis sacer. Sed amant profecto & curiæ literarum lumina, monumenta antiqua, religiosa quoque, & curant nonnunquam impensis quam quibus videri poterant dicata. Numinis reverentia, fidei sinceritas, virtutisque cultus, quin & candoris usus, major etiam, tenacior, & integror in illis, quam his. Et illorum est, moderari publicam, non solum civilem sed & sacram rem, pro civitatis & regni incolumitate ac salute. Quidni ergo & illi lustrent, evolvant, & pro seculorum vel & negotiorum indulgentia ponderent, quod quondam oratores, etiam divini in Israëlis regno, dixisse aut scripsisse feruntur. Jus, illis æque ac his, in vetera quælibet, sacra & extera literarum monumenta, non modo ut cognoscant veterum orbium negotia & fata, quæcum recentibus componant, sed ut subinde curatius per-

pervideant, quæ ex usu sint nostri orbis scripta antiqua. Siquidem bonæ literæ, publicarum rerum decora & præsidia, præclaris constant majorum scriptis. Atqui à sacris autoribus, ultimæ Ecclesiæ doctoribus, nostra profecta religio, nec non regnorum facies senerior, & mens candidior. Barbaries pestundat regna, veterum monumentis posthabitis: Moratæ literæ pectora emolliunt, nec sinunt esse fera. Leges, commercia, arma, munimenta sunt & opes regni; Literæ, anima, vigor, decor & honos: Literæ, sacræ non minus ac civiles. Quo majus literarum in regno pretium, tanto & flos regni splendidior & consilium salubriss. Desino igitur mirari, quare quid agat *Jeremiæ* scisciteris. Accepisti, grande & perarduum *Prophetæ volumen*, in quo recensendo sumus occupati, cum anno præsente ad finem tendere. Sed & confidis, *Jobum latus Jeremiæ clausurum*, ut hoc absoluto succedat ille. Quam spem, à me in Catalogo nostrorum studiorum alias factam, roborare ac suffulcire contendis hortatu perbenigno. Eadem promissi non lacestis, nec fucum indicis suspicaris, neq; jaestantiam vellicas, sed certus es, qui existimas bonos viros non spondere quod nolint præstare. Tuam, Vir illustris, fiduciam nec ego lacestam, nec frangam, qui fari non soleo quod ab integritate alienum, quod vanum, quod jastabundum. Plus efficere, quam spopondi, mea voluptas: in primis ubi studiosorum & reipublicæ literariæ interest. *Jeremiæ* proinde libros, qui ad septuaginta assurgunt, deo propitio, aurâ Academiæ lubenter ferente, ævo benigne indulgente, flagrante Auditorum urgenteq; atten-

*missis*

tione,

tione, bono nemine indignante, cum hujus anni limitibus ab solutum iri confido. Annitar omni operâ & industriâ, ut telam hanc longam pertexam. Negotium sane haud leve, quod non haberet qui præirent. Qui prævissæ visi, parum juvare deprehensi, sive linguae veteris, sive historiæ & geographiæ antiquæ studio. Industria plerisque non defuit, quæ laudem meretur, sed seculorum fortuna absuit. Vel non vacavit desplicere curatius, vel tempora curam uberiorem non quæsiverunt, nec lucem ampliorem expectarunt. Et secula contenta paucis, quæ uberiora nesciant, nec meliora augurentur. Et somnus delectatur umbrâ, diei immemor, & specie gaudet, corpore jacente ac stercente. Habent & literæ sua tempora, sua intervalla, sua fata, suam lucem. *Jeremiæ* recensito *Jobum* jungi vis, & volo hactenus. Nec enim animum jam mutavi. Non nescis autem, quam frequenter in civilibus negotiis, & pene in horam, mutanda veniant instituta. Consilia patiuntur moram, & mora spem habet, spes autem successum expectat; Et successus haud raro spem suspendit, moram refrenat, & consilium mutat. Nec in alterum diem vitam nobis polliceamur, quanto minus opus conficiendum indubitate definiamus. Deliberandum, statuendum, & nihilominus diebus & horis, eventibus quoque, aliquid juris aut potestatis relinquendum. In arena consilium, & in consilio pugna ambigua. Largire & literis literarumque motibus ac incrementis, non nihil juris, quod tota habet vita. Nutuntur, adspirant, anhelant; da & respirent, ut contendant fortius. Dies ergo docebit, quid cum *Jobo* facien-

faciendum, ubi *Jeremias* suo functus fuerit officio. Inter ea, veneror judicij tui vim, qui *Jobi* pectus comparas cum *Jeremias* ore, c. 20, 14. 18. qui exitimas, non disparem utrobique esse sententiam, in diversis vitis. Quæ stili similitudo *Jobum Jeremie associari* jure & rete, tibi persuadet. Hæres autem in isthoc *Jeremias effato* nimis anceps, & nescio quos tibi injicis scrupulos. Aperitatem orationis horrere videris, qui *Jeremiam complectenis & colis.* Vis ergo *illustrem sermonem tam durum ac impenetrabilem, tam auferum & confrago sum.* Facerem, quod jubes, nisi auditoribus jam tum a viva recensione brevem dedissem enarrationem literis comprehensam. Est illa oratio peculiaris *Jeremias liber*, scriptus in summa *Jeremias* afflictione animique ægritudine maxima, circa annum *Josiae regis trigesimum;* Quando nuper a Paschure, sacerdotii moderatore, misere tortus, officii sui sacri anno octavo & decimo, vitæ circiter quadragesimo octavo. Quæ historia plusculum lucis libro huic assundit; ut non opus sit confugere ad carmen funebre, quod *Jeremias* in *Josiae cædem* composuerit. Ne ergo epistola sua mole sit molestia, enarratiunculam submitto istius libelli propheticæ, quam auditoribus dedi, illorum studiis & profectibus accommodatam. Nihil illis addere constitui, quod putem sensum libelli inde cognosci posse, & prægrandium figurarum fontem. Ne qua etiam de carmine funebri scrupulus incidat, addo parvas demonstrationes, soleribus nostris Fontium cultoribus traditas. Et meam inde colliges insimul in auditores fidem, & illorum in fontes propensionem. Sunt in his aliqui, a

B

quibus

quiibus in functionibus olim publicis Ecclesiæ commoda promovebuntur luculenter.

*Helmst. Calendis Dec.*

*1711.*

*Demonstratio*

**Libellum Jeremias** vigesimum tertium, Cap 20,

14 - 18. non esse carmen funebre *Jeremias* in *Josiae* regis obitum , cuius fit mentio

*2. Chron. 35, 25.*

Neque *Jeremiam* illum *2. Chr. 35. 25.* esse *Jeremiam* Prophetam, Anathotensem, sed alium, Libnensem, *Josiae* regis sacerorum.

**O** Ratio *Jeremias*, Cap. XX. 14, 18. admodum querula & acerbi moeroris , præ styli amaritudine non videbitur in ipsum quadrare *Jeremiam*, de quo non vero appareat simile, illum tam misere conquestum, ut desperantis sint similia verba. Quamobrem incidat, num forte hæc tam amara oratio sit illud *ipsum carmen lugubre, quod Jeremias fecisse scribitur, 2. Chron. XXXV. 25. in Josiam regem, in acie per Necho-* nem *Ægyptum cæsum.* Quippe quem publice immani planctu prosecuti omnes, teste historico sacro, *2. Chron. XXXV. 25.* Quod credatur tanto probabilius, quanto certius, alibi in Scriptura non reperiri laudatum illud in funus *Josiae* carmen. Non in libris historicis, nec in sacris Threnis. Siquidem *threni, Jeremie*

remiae tributi, non nisi post Hierosolymam deletam in urbis & gentis ruinam & exilium scripti. Id quod manifestum ex tota orationis serie, in qua non unquam Josiae facta mentio, neque cædis aut cladis per Nechohem, sed apertissima Hierosolymæ deletæ & vastatæ perpetua documenta. Quod nec græcæ versionis indeque & latinæ auctores fugit, qui in inscriptione hanc temporis circumstantiam notarunt, threnos scriptos esse in Hierosolymam vastatam. Quod ipsum etiam Uffarium sine causa urit, qui, dum nescit, cum aliis, ubi Jeremiae carmen funebre in Josiam sit quærendum, in Threnis his frustra venatur.

Quodsi ergo *Jeremiae carmen in Josiae funus* nec in historicis libris, nec in Threnis ita dictis, ad ipsum videbitur Jeremiae volumen propheticum confugiendum. In quo, tum ratione temporis, tum ratione stili lamentabilis, videatur quadrare oratio laudata Cap. 20, 14. Ut Josias defunctus, per prosopopceiam, de sua calamitate introducatur querulus.

Veruntamen, nondum dixeris expeditum, in Threnis non reperiri. Siquidem id fere manifeste asseritur in libro Chronicorum, loco laudato: *Reperi etiam illud in Josiam funebre Jeremiae carmen in Threnis.* Threnorum ergo aperta mentio. Tametsi ergo nulla Josiae memoria vel cladis, sub generali tamen Hierosolymæ damno quidni subintelligatur? Ast non difficile hoc expeditu. Quandoquidem itidem citra omne dubium ibidem affirmatur, *non solum Jeremiae carmen, sed & aliorum omnium in Josiae funus carmina lugubria, quorum multa, comprehensa esse Threnorum libro.* At

verò sole meridiano clarius, laudata illa, eaque *multa*  
*in Josiae cædem carmina funebria in hoc nostro parvo Threnorum libro non haberi*, quæ aperte in Hierosolymæ  
 tendunt exitium. Neque aliorum quam sacra ibi-  
 dem comparent scripta. Ut proinde frustra cetero-  
 rum Judæorum, cantorum & cantatricum, musico-  
 rum & poëtarum, carmina in Josiam funebria in no-  
 stris Threnis quæruntur, ita nulla necessitas unum il-  
 lud Jeremiæ in funus Josiae ibi quæri. Quin sat aper-  
 te indicatur, *ibi illud Jeremiæ carmen funbre reperiri,*  
*ubi cetera ceterorum.* Quod est in separato libro. Ne-  
 que adeo *Threnorum nomen solis threnis*, in scrip-  
 tura obviis, tribuendum, sed aliis omnibus *commune*,  
 qui ab aliis in alios casus facti. Quemadmodum igitur  
*Threnorum liber*, in quo multorum threni in Jo-  
 siam, *alius à threnorum libro*, [quo Hierosolymæ exi-  
 tium defletur: ita & *carmen illud Jeremiæ in altero illo*,  
 cum ceteris, *threnorum volumine comparuit.*

Ceterum scrupulo non caruerit, cum cetera Jere-  
 miæ scripta uno sint volumine in Ecclesia conser-  
 vata, unum illud *in funus Josiae carmen alteri libro fuisse*  
*insertum*, ut perierit.

Verum nulla hic opus formidine, nec deploran-  
 da hæc libri periti clades, nec providentia divina ac-  
 cusanda, vel negligentia Ecclesiæ. Omnibus his facile  
 remedium *in ipsa historia sacra*, quæ diserte memorat,  
*eodem illo Josiae tempore plures magnos viros Jeremiæ no-*  
*mine extitisse*, inclytos & venerandos. Præter nostrum  
*Jeremiam, Prophetam, Anathotensem*, floruit eodem tem-  
 pore in Judæa, inque ipsa Josiae curia *Jeremias aliis,*  
*Libnen.*

*Libnensis.* Qui tantæ autoritatis in Josiæ curia & familia, ut hujus Jeremiæ Libnensis filiam, Chamutal, matrimonio sibi junxerit ipse Josias rex. Quomodo *Josia regis sacer fuit Jeremias Libnensis*, quisquis & cùjuscunque ortus ille: *Josias rex Jeremiæ Libnensis gener*, irrefragabili teste Historico sacro, 2. Reg. 23, 31. Ex qua *Jeremiæ filia, regina, rex Josias suscepit filium Joachassum*, qui à cæde Josiæ ad tempus aliquod in thronum regium evestus, & Zedekiam, ultimum tandem Judæorum regem, omnium miserrimum, 2. Reg. 24, 18. Jer. 52, 1. Ut hujus *Jeremiæ nepotes reges essent Hierosolymorum*, et si infelices. Quorum ille mox in Aegyptum per Nechonem pertractus, hic a Nebucadnezare oculis privatus & in Babyloniam ductus. Quod *luculentissimum historiæ momentum* fatis abundeque *Jeremiam illum detegit*, qui in Josiam defunctum threnos quosdam composuit, *Libnensem, Regis Josie sacerum*. Hic profecto, tam arcta cum Josia rege sanguinis affinitate conjunctus, non potuit non, pro sua peritia, qui forte vir literatus, versatus certe, publice suum dolorem testari, in sui generi funere, suæ filiæ reginæ luctu amarissimo. Quod non indignum viro magno, cum & maximi, ipseque *David, talia carmina lugubria*, ut *in Jonathanem, Saulem, & alios, concinnaverint*. Cujus *Jeremie Libnensis carmen* cum ceterorum Judæorum næniis uno comprehensum libro, non sacro, adeoque ab Ecclesia non servato & ad posteros propagato. Quare sole meridiano clariore, id facile solvetur, videri, *Jeremiam Anathotensem, Prophetam, similiter in Josiam ejusque funus, threnos adornasse*. Quod non factum esse

esse, ex nupero Jeremiæ libro XVI. Cap. 16, 5. manifestum, ubi expresse denunciavit, *se in nullius posibac funere comparitum, parentaturum, solatiumque maestis verbo vel scripto impertiturum.* Abstinuit ergo, pro publico divino effato, eoque magni momenti, utpote symbolico, ab omni funere deducendo, & ab omni carmine in illud adornando. Perinde verò quisquis defunctus. Neque hic conditionis discrimen. Quod adeo à Jeremiah Propheta non est paratum aut scriptum, nec opus est in volumine Jeremiæ quærere, nec vel Dei prvidentia, vel Ecclesiæ socordia, in illo carmine non servato, anxie vellicanda; siquidem illius autor non Jeremias Anathotensis, Propheta, sed Jeremias Libnensis, Josiæ regis ficer.

### Demonstratio

*Josephum traditione vulgi fuisse deceptum,  
qui existimaret Jeremiam Prophetam carmen  
funebre in Josiæ mortem scri-  
pisse.*

**Q**UAE veritati solent ex vulgi opinione objici obstacula, eadem hic veræ historiæ, *de vero Jeremiah Libnensi*, qui carmen lugubre in Josiæ regis funus fecit, poterant obverti. Neque enim solum *vulgaris hodie eruditorum ita persuasum*, v. Sanct. in 2. Reg. 23. Smid. in h. l. sed & jam olim ita fascinatum.

natum. Paucorum siquidem vel patientia vel studia admittunt, ut de veritate dispiciant. Satis plerisque, temere admittere, quae feruntur. Quae blanda securitas, somniumque tranquillum, est suave fascinum, ut de veritate despicer, nec desiderium sit, nec voluptas. Colores aliqui sufficere existimantur, ex opinione & autoritate, vel praeuentium, vel spectabilitum virorum. Qui color, ex traditionis vulgaris longa autoritate, & magnorum virorum opinione, merus est fucus. Quali fuco fascinari contingit non tantum imperitos, sed & doctos, illos puta, quibus nec tempus suppetit, nec animus est, nosse verum aut quærere. Quantumvis ergo ex superiori demonstratione satis abundeque eluceat, non Ieremiam Anatohensem, Prophetam, sed Ieremiam Libnensem esse autorem epicedii in Iosiam, memorati 2. Regum XXIII, 31. obstat nihilominus videtur Iosephi fama, qui Antiquitatum Iudaicarum Libro X. cap. VI. diserte pronunciat: Ιερεμίας ὁ προφήτης ἐπικένδειον αὐτῷ συέταξε μελῶς θεοντικὸν, ὃ καὶ μέχει τῷ διαινέσθαι. Ieremias Prophetæ epicedium Iosiae scriptis lugubri carmine: Quod in hunc usque diem supereft.

Sufficere quis dixerit, Iosephum, rerum judaicarum scriptorem veterem, magnæ autoritatis virum, Ieremiæ Prophetæ adscriptissime epicedium in Iosiam. Maxime, cum sua adhuc ætate carmen illud supereffset, ut in manibus existeret eruditorum vel & populi: Et illâ quidem fama, Ieremiæ Prophetæ esse scriptum. Quæ vulgata illius ætatis opinio sat videbitur habere ponderis.

Ast (1)

Ast (1) *Iosephi fides tanta non est ut apertam destruat veritatem.* Nihil autem apertius, quam Ieremiæ prophetæ carmen funebre in Iosiam nullibi in scriptura reperiri. Dein quoque manifestum, Ieremiam dilucide peculiari antea libro & publice Dei nutu pronunciasse, se nullum posthac funus deducturum, in nullius amplius funere parentaturum, nullum solatium incerentibus ex funere daturum. Quod Dei effatum Ieremias non temere transgressus. Neque religiositas viri, & divinæ providentiae justitia, admisserit, in cædem regis parentari carmine, quam sua culpa contraxerat, contra divini cuiuscunq[ue] demum oraculi a Necho memorati sententiam, qui a bello abstinere satis monitus. Aliis illud jure relinquebatur, inter quos & Ieremias Libnensis, Iosiaæ socer.

(2) *Iosephi fides in millenis vacillat.* Quod a doctis dudum abunde demonstratum. Vnde cujusvis est, ubi Iosephum legit, dispicere, an veritati cuncta respondeant, an declinent. Neque enim divina illa autoritas.

(3) *Iosephi relatio nittitur opinione vulgi.* Unde accepit, inde reddidit. Quomodo millena sunt in Iosepho ab ipsa Scriptura S. aliena, imo plane illi contraria: utpote ex ore populi, sive communi opinione desumpta. Neque enim Iosephi, militis præfertim & belli ducis, fuit, dum scriberet, disquirere, an omnia vera quæ ex aliis accepisset, quæ recensere animus sederet. Atqui vulgus eruditorum, non circumspiciens de genuinis rerum conditionibus, judicat plerumque ex habitu externo. Quando igitur in gente judaica circumla-

circumlatum carmen Jeremiæ in funus Josiæ, imperitia aut negligentia communis facile tribuerit Prophetæ Jeremiæ; cum non constaret aut non incideret, aliud, magnum virum, Jeremiam, Libnensem, eadem ætate extitisse, Josiæ propinqua sanguinis affinitate conjunctum. Sic imperitia conciliaverit epicedio dignitatem, quam ex se non habuerat, ut prophetæ Jeremiæ diceretur fœtus, cum esset alterius. Nisi & fraus quædam accesserit, quæ pro majori libri autoritate nomine Jeremiæ abusa, Prophetæ tribuerit quod fuerat alterius ejusdem nominis. Sicuti & multa scripta inter Patrum opera reperiuntur, supposititia, non ab illis ipsis patribus composita, sed ab aliis cinnata, vel nominis similitudine, vel arte juvante.

(4) Quoniam hoc Jeremiæ epicedium, quod tempore Esrae in communione Threnorum Josiæ libro extiterat, tempore Josephi adhuc superfuit, ipso memorante, verosimile, totum illum Threnorum Josiæ librum adhuc post quatuor illa secula in manibus fuisse aut bibliothecis judæorum. Vel ergo, dum Josephus suo ævo illud Jeremiæ epicedium adhuc superfuisse scribit, in volumine sacro extitisse inter Jeremiæ opera putaverit, vel extra scripta sacra. Non opera sacra indigitaverit, in quibus suo ævo adhuc extaret: Alioquin ex volumine sacro dein scriptum divinum periisset, cum hodie non supersit in nostris sacrâ codicibus. Quod diceré nefas, nec opus, nec ulla veri similitudo, cum Judæi ab ætate Christi, quo extitit Josephus, sacra monumenta religiosissime servarint, nec vel literam, multo minus integrum librum perire

C fiverint.

siverint. Intellexerit igitur Josephus illum *Threnorum Josiae librum*, quem refert autor libri posterioris Chronicorum Cap. 35, 25. nempe *non sacrum*: Hunc sua adhuc ætate Jeremiæ carmen comprehendidisse. Quod satis indicii, non nostri esse Jeremiæ, Anathotensis, sed alterius Jeremiæ, Libnensis, cui in funus Josiae regis, generi sui, scribere, tanquam socero, competitbat, & pari jure ac ceteris, multis, qui epicedia in Josiam scribebant.

Falsus ergo opinione populari Josephus; a quo iterum pari plebeja opinione ac temeraria traditione falli haud decet. Veritas potior rumore populi. Veritas sincerior fuso opinionis communis. Veritas validior & dignior vulgata relatione.

### *Demonstratio*

**J**osephum non designasse codicem *sacrum*,  
in quo supersit Jeremiæ carmen in Josiae  
cædem, sed *Opus separatum*.

**I**osephus, quando carminis Jeremiæ in Josiam, sua adhuc ætate superflitis meminit, non definit, in quo aut quali libro sua ætate comparuerit. Ex quo silentio probabilis videri poterat conjectura, Josephum forte intellexisse ipsummet *volumen sacrum*, in quo sua adhuc ætate compareret. Ut adeo videatur fuisse persuasus, vel quod in Threnis nostris habeatur, vel Cap. XX. comprehendatur: Nisi plane postmodum ex volumine sacro exciderit, sive ex threnis, sive ceterorum ejus

ejus librorum corpore. Veruntamen (1) *ipse Josephus non prorsus filet aut dissimulat*, ubi illud Jeremiæ carmen sua ætate extiterit: *Non in volumine sacro, sed extra illud.* Diserte pronunciat: Quod epicedium *ngi μέχει τὸν διαυγέα, in hunc etiam diem supereft.* Quæ formula certus & indubitatus index libri vel operis, extra corpus sacrum existentis. Quando ætate Esræ aut Nehemiæ volumen sacrum in plenum integrumque corpus redactum, tanta religiositate hoc opus servatum, ut exinde nihil unquam excidere aut perire posset. Religiositas maxima vetuit, vel negligentiae vel malitiæ aut arti & insidiis, quicquam tentare in hoc sacrum scriptorum corpus. Clausum probe & munitum auctoritate, fide & religione publica, ne quid magni excideret, velut integer liber. *Formido proinde Josephi tacita, de temporis injuria, quæ potuisset libellum subduxisse, est indicium, non sacri operis, de quo tale quid tunc non erat formidandum*, sed *externi, extra corpus sacrum existentis.* Qualia non sacra opera omnia & temporis injuriæ exposita, & quorumcunque fere arbitrio. Unde vel optima manibus elabantur scripta. Quomodo integras bibliothecas, omnia optimorum etiam auctorum monumenta periisse constat. De quibus libris perditis magni exarati libri. Vel Photii Opus satis testium.

(2) Illa ætate multa circumlata opera & scripta veterum, auctorum etiam auctorum, supposititia, quæ non ab ipsis viris divinis, sed ab aliis profecta, pro auctoritate tamen illis concilianda *nomen praetextum religiosum.* Neque exinde sequitur, vel auctorum illorum fulisse, quorum nominibus venditantur, vel sacro vo-

lumini fuisse inserta quondam, dein excidisse, vel latere alicubi in corpore sacro non agnita. Erat in primis priscum seculum solers, ut scriptis vel suis affingerent autores alios, vel alienis, quorum celebritatem quærerent, magnos, eosque prisci & remoti ævi. Qualia scripta veterum nomine, supposita, in hunc usque diem magno numero inter judæos supersunt. Quorum aliqua, ob superstitionem, veterem licet, manifestam tamen, ab ipsis judæis rejiciuntur aut refutantur. Nomine Eldad & Medad venditatum opus Aben Esra sine metu refellit.

(3) Ipse eventus locupletissimus testis, Josephum non sacrum corpus indigitasse sed alium fasciculum, in quo illud Jeremiæ in Josiam epicedium Quandoquidem illud hodie plane expiravit, in Judæorum exilio, integro illorum veteri corpore sacro supersite. Quod Josephus jam tum fore subauguratus, qui animadverteret, cum scriptum esset non sacrum, servatum quidem eo usque esse, fieri tamen posse ut pereat aliquando. Id quod arguit illa timidiuscula formula; *In bunc usque diem servatus libellus:* De quo verendum an temper sit servandus & ad seros annos propagandus. Qui *metus Josephi tacitus* excludit spem perennitatis. Ut eventus hodie illam spei fugacitatem confirmavit.

Interea disquirere animus non est, num Josephus revera ex sua sententia pro Jeremiæ prophetæ libro habuerit, an solum recitaverit communem sententiam. Multorum siquidem peritorum consuetudo, tametsi aliter sint persuasi, & ex solidis principiis convicti, ta-

*men,*

men, in rebus historicis aut receptis cemmemorandis, loqui cum cœtu. Neque enim vel fas, vel locus, impugnare ubique populi sensum vel fascinum, quæ extorquere sœpe nec dignum nec honestum, nec proficuum. Referunt docti passim non quæ sunt, sed quæ æstimentur aut venditantur. Populum refellere, est ignem gladio fodicare. De Josepho vero definire, quæ ejus fuerit mens, an revera senserit ita, ut pro Jeremiæ Prophetæ scripto haberet, an solum ex populi sententia seu communi opinione loqueretur, supervacaneum. Quod si in aliis ex animi sententia, ut apparet, communes populi sententias recensuit, quidni & hic cum populo senserit, similiter opinione sueta & vulgari fascinatus? Plenum autem Josephum esse in commemorandis judaicæ gentis fabellis, periti dum detexere viri. In rebus sua ætate gestis fidem meretur, quod intelligent experti, sed in traditis millies fide caret, non res habens exploratas, sed populi rumorem fecutus, aut scripta suæ ætatis, quæ vulgo valerent.

Libellus Jeremiæ XXIII. Cap. XX, 14-18.

*Scriptus* hic Jeremiæ libellus anno Josiæ regis 30. Jubilæo labente : Postquam Jeremias e synedrio quidem evaferat, Dei manu servatus, in sacrificio tamen suo eucharistico offerendo novam mox expertus adversitatem ; sive Paschur, magnus templi præfectus, a sacrificio illo suo offerendo eum repulit, sive & carmen in honorem Dei pro Jeremia servato accinendum rejecit & accini prohibuit, sive post rem confectam rescivit, novasque eapropter turbas movit, quibus Jeremiæ perniciem pararet. Quæ

C 3

novæ

novæ molestiæ, & continua dira in Jeremiam odia, pectus Jeremiæ adeo usserunt, ut dolore afficeretur acerbissimo, qui non ferreus esset nec lapideus, sed sanguine imbutus. Quem urentem dolorem coram facie Dei brevi effudit oratione, quem pectori clausum tenere acerbitas negaret, quam vel lacrymæ vel stylus quodammodo temperarent.

*Argumentum. Impenitissimi doloris & peranxiæ mentis in afflictissimo Jeremia viva imago, in diris quas experiretur adversitatibus.*

v. 14. (v. 1.) *Tedium vitæ in tot odiis & insidiis querula voce expressurus, infelicitatis & miseriae sue exordium, vita principium, amare deplorat.* Uti tedium cuiusvis rei animum afflictum rapit in odium initii, ut rem aversantes, principium rei detestemur. Qui communis est totius orbis sensus & usus. Initium quippe si non extitisset rei, nec infortunii in re fuisset exordium nec sensus. Dolor itaque ruit in querelam de principio vel negotii vel nostri met. Sic vehementia doloris abripit afflictum in querelas de infelici ortu aut nativitate. Ortum accusamus aut indigne ferimus, qui, dum jam existimus, adversa experimur & affligimur. Quod in se non odium est nativitatis, sed adversitatis præsentis, quæ nostram nativitatem exceptit & natos torquet. *Utinam, inquiunt afflicti omnes, non essem natus.* Qui horror non tam vitæ, quam in vita anxietatis. Afflictus dolentis impetum doloris vividius & luculentius exprimere nescit, quam amare illius desiderando finem. Neque vero finis ante, quam existere desinamus. Dum ergo sumus, quia dolor, quia afflictio continuo urget,

urget, dum finem non videmus, initium factum esse dolemus & conquerimur. Sic aversari præ dolore vitæ exordium vel nativitatem suam, est, horrere præsens & intolerabile malum, quod nato evenit: Quod, si non fuisset natus, non evenisset, nec torquisset. Quo pacto votum, *non esse natum*, est querela, *natum esse infelicem*, quæ infelicitas abesset, si non esset natus. Sic cupere vel optare, non esse natum, est cupere vel optare, miseriam præsentem abesse, quæ cum vita est conjuncta. Unum pro altero, quæ sunt individuo nexus conjuncta, affectus prehendit, dolorem exesse cupiens. Utinam non essem natus, est, utinam præsens calamitas abesset, quam jam fero, postquam existo. *Sic affectus trahit homines in sermones figuratos*, ut non aperte pronunciemus cordis sensa, sed oblique. Odium vitæ inchoatæ est symbolum adversitatis in vita tolerandæ, quam odimus. *Quales metonymias affectus gignit innumeræ, pro rerum varietate.* Eodem modo in prosperis vitæ fatis nativitatem nostram celebramus & extollimus, felicemque prædicamus: non in se, sed ob prosperitatem præsentem, qua ex voto utimur, & diem nativitatis efferimus, qui initium ut vitæ ita & fortunæ. Pari modo in præsenti flebili Jeremiæ carmine aut libro, conqueritur de suis adversitatibus, præ dolore ortum suum aversatus, qui calamitates illas post se traxit. Quanto porro animus sublimior, tanto & fortior aversatio, ut adversi ita & ortus, tanto impensis querela de utroque, tanto æstuantes figuræ. Ita ergo divinus spiritus, impensisimum Jeremiæ dolorem in adversis luculenter expressurus, ore utitur & affectu omnibus hominibus cognito & usitato.

usitato. *Uſitatus hic querentis ſtylus clariffimum* est lumen, dolori prophetæ pectorive anxio affusum, ut percipi, pervideri ac intelligi recte & curate posſit. Hunc proinde ſuum in adversis dolorem hoc uſitato ore & fueta loquendi forma effigiaturus Jeremias, *multis figuris uſus, quibus idem per totum dicat libellum*: Me miserum, qui natus! Ideſt, me jam miserum & calamitosum! Utinam non eſsem natus, i. e. utinam non eſsem tam calamitosus, utinam a calamitate mea liberarer! Ut una ſit figura per totum libellum, variis modis diſtincta & repetita, ſicut una eſt de adverſitate querela. Unum nativitatis odium, eſt unum adverſitatis præſentis tollendæ dederium. Quinque dicere, aliter atque aliter, Me non natum, me non natum! eſt quinque dicere, aliis aliisque verbis, Me infelicem! me infelicem! Utinam non natus, utinam non tam miser! Et crescente quidem in oratione dolore, crescent figuræ, quinque gradibus. Atque ita prima doloris & querelæ figura eſt *Aversatio ipsius diei nativitatis*, ſive, *aversatio præſentis miseriae que nativitatem fecuta*. Et haec quidem *deploratio ortus ſui*, aut illa criminatio in diem nativitatis, bis eodem ſenſu repetitur; Uti affectus eſt copiosus, qui dolorem ſatis exprimere præ vehementia & tenacitate non poſſumus.

(1) Affirmative, *Trux & invitus*, ater & infaustus, *הַיּוֹם אשר יָרַתִּי*  
 (2) Negative: *Ille dies, habeatur dies quo sum natus!*

בָּן quo mater mea me peperit, ne ſit, utinam non habeatur, *לְרַתְנִי אֲמֵן*  
 aut aestimetur, *felix & prosper!* Quod idem utrumque, ac: Me infelicem natum, ob miseriam. In quali voto, & imprecantis affectu, tacita eſt conditio, fieri

fieri posse, quam interdum sedatores addunt. Utinam, si fieri posset, non essem natus. Quem affectum modo potentiali, quem vocant grammatici, exprimere saepe solent aliae gentes, quibus copiosior oratio, & quando affectus sedatior: Non sim natus, non fuerim in lucem editus! Et nostris; möchte ich doch nicht gebohren seyn! Non viderim lucem! Wenn ich doch ans Tages Licht nicht kommen wäre! Non natum me optarim, Möchte wünschen/ nicht gebohren zu seyn! Vellem me non natum! Quam vellem me non editum. Quæ manifesta est doloris significatio ex præsenti calamitate, quam exesse cupiat. Affectus quoque quanto vehementior, tanto sermo figuratior; affectus quanto lenior, tanto apertior & planior oratio.

v.15.(2) Secunda doloris crescentis effigies est, aversatio cognatorum, alteriusve illorum, qui in prima nativitate lœtum patri attulit nuncium de filio nato. Quæ est aversatio primi illius apud patrem ex filio nato gaudii. Quod est obliquum votum prius, se non esse natum. Non gaudium esse patrem, est, non natum esse filium. Quod iterum tacita votiva conditione est, si esset possibile. Quam vellem, parenti non fuisset lœtum nuncium allatum, de me nato. Quam optarim, non puerum tunc, adeoque non me, natum. Wie möchte ich wünschen / daß die freudige Botschaft / daß ein Sohn gebohren / als ich gebohren / nie wäre gebracht! Sic nostri affectum queruli pingunt explicatus & clarus, wünschete/ so möglich / potentiali locutione perspicua. Affectus vehementia valde figurata, quæ simpliciter stylo sublimi & obscuriore pronunciat, quod dolor mitior &

D

minor

minor aliasve affectus lenior atque remissior cum sua tacita conditione & potentiali sensu effert. *Abom i-nandus ille vir*, qui lætum patri de me nato attulit nuncium. Molliori affectu: *Abominandus fuerit ille*: vel, *abominandum dixerim*: Möchte den verwünschen/ der die fröhliche Zeitung damals gebracht. *Conditio tacita est*, si fas sit dicere aut facere. *Affectus*, impetus & aestus conditionem omittit & quasi nescit, occulte tamen tegit. *Execrabilis dies*, affectu forti & rapidiore: *Möchte ich den Tag können verfluchen*. Quod idem in omnibus est: Utinam illum diem possem tollere quo sum natus: Utinam ille dies non extitisset, quo summum gaudium ex nato filio. Verfluchte Freude über meine Geburt. *Triste gaudium de me nato!* Quod est, utinam tempore gaudii de filio nato nullum fuisset; utinam loco gaudii de filio nato, doluissem de filio non nato. Quæ omnia sunt: Utinam non fuisset natus! Pro quo suo impensissimo dolore exprimendo, Propheta gaudii meminit gemini: (1) *in nuncio lœto*, (2) *in parente*, *isthac nuncio exhilarato*. Quomodo affectus magnitudo extollit illa prima gaudia, ut præsentem suam tristitiam detegat tanto majorem, vi oppositorum. Quanto majus tunc gaudium in illis, tanto nunc major dolor in me. Utinam, inquit, neuter tunc fuisset gavisus! sic nunc non dolem! Tam elegans in dicendo & dolor, inscius, præ affectus vi penetrante, quæ mentem in figuræ abripit, quæ sedata plane eloquitur. Ex quo tanto sublimior oratio, tantoque intellectu difficilior, quanto affectus dicentis est fortior & vehementior. Ut sine affectu

ארור האיש אשרبشر אמרך לאמר לדר רבנן זכר שמח שמחה

affectu illo probe cognito, nulla intelligantur vel planissima verba. Verba siquidem affectus sunt in dicente signa, ut in eadem re describenda quanto affectus vel major vel minor, tanto sit sermo vel ornatior & penetratu difficultior, vel nudior ac planior. Quoque est oratio talis magis figurata, eo latet animus commotior & affectus extuantior. Figurarum grandium frequentia est flagrantis animi character. Eoque animi motu non cognito beneque perspecto, verba & figuræ non capiuntur. *Figurarum anima, animi motus.* Affectum dicentis nescire, est loquentis mentem non percipere, est sensum verborum ignorare. Tam arctum vinculum orationis & animi, verborum & mentis, figurarum & affectuum. Pondus figuræ est affectus magnitudo. Affectu cognito figura dilucida & verborum nervi perspecti. Affectu ignorato, nec planissima verba, quæ grandes figuras faciunt, multo minus figuræ, ullo cognoscuntur modo. Affectu ignorato meræ tenebræ. Affectus loquentis, lumen orationis.

*v. 16. (3) Tertia majoris doloris imago est, votum mortis a partu: Aversatio cognati vel alterius qui statim a partu ipsum non enecaverit. Enixissime dolentis character, qui id vovet, quod voto consequi non licet, nec fas. Unde tecta iterum conditio, ab affectu presfa, si possibile, si fas: sensuque potentiali: Perierim a partu! Möchte ich doch gleich umkommen seyn! Quam vellem, me interemtum statim a nativitate! hätte mich doch jemand gleich aus dem wege geräumet. Wollte/ daß gleich wäre gestorben. Quæ dilucididi-*

or oratio occidentalium, affectu remissiore, pro copiose etiam dictione occidentalium præ orientalibus.

Quæ nova aversatio sive nativitatis præsentisve calamitatis, aversando illum, qui a partu non sivit per-

הַחֲזָה תְּאֵישׁ מִזְרָחָה, comprehendit (1) *Imprecationem orbitatis*: Sit ille

vir, inquit, qui me a partu non sivit interire, velut

orbis, ἔργον, aut orbatus suis liberis, quia non per-

misit aut curavit, ut pater meus fieret orbus me

nato. (2) *Orbitatem magnam*, qui multis suis liberis or-

betur. Quæ effigiatur eversione viri, seu domus &

familiae ejus, quæ sit Dei manu, ut pereant filii fatis

diversis, Deo urgente, & unum post alterum perimen-

te. Quæ est grandis exaggeratio orbitatis. (3)

*Orbitatem extremam*, ut nulli superstites maneant liberi,

omnesque pereant: Effigie implacabilis ire divinæ, in

evertendo tali viro, qui tali homini nullam relinquat

prolem, velut absque omni misericordia virum sive

מִשְׁעָקָה עֲשָׂרֶהvir familiam pessundans. (4) *Funerum plancum*: Qui

in morte filiorum & in efferendis illis, domi, mane &

omnesque pereant: Effigie implacabilis ire divinæ, in

evertendo tali viro, qui tali homini nullam relinquat

prolem, velut absque omni misericordia virum sive

בְּכָר וְתַרְעוֹת כְּבָתָה צָהָרִיםcausam aut meritum tantæ orbitatis; Quod non si-

verit Jeremiam, recens natum, perire, aut non fuerit

tam saevus, ut perimeret. Qui incomprehensibilis

doloris affectus, qui optet, virum orbari liberis, qui

parentem nato Jeremia orbari non permiserit aut ad-

juverit. Quales insidiae in crudeli non solum oriente

frequentes, sed & in dolo occidente non insolentes.

Unde figura sumta, qua tales videatur laudare

CRU-

אֲשֶׁר לֹא  
מוֹתָתִי  
מְרֻחָם

בְּכָר  
וְתַרְעוֹת

כְּבָתָה צָהָרִים

וְלֹא נָחַם

crudelitatem, si in Jeremia infante cæso fuisset exercita. Major affectus impetus, dum orbitatem insontis viri, qui a partu cædem non admisit aut paravit Jeremiæ, comparat cum orbitate talis viri, quem Deus juste ob delicta sic affligat, ut omnibus liberis privet, sive occulto fato, morbi, aut belli, sive magistratus manu. Quam vellem, inquit, orbaretur ille, qui me vivere sivit, tali orbitate, quali affligitur, qui maxime merebatur. Quæ innocentiae accusatio & condemnatio, præ doloris affectu sublimis figura, quæ tacitam iterum comprehendit conditionem, *si fas dicere vel precari.* Sic horror calamitatis præsentis horret originem vitæ adeoque & miseriæ, ut & illi horrorem imprecetur, qui vitæ servandæ non obstitit, vel opem tulit. Sic pientissimus animus, in summa religiositate ac devotione, apparet sævus aut crudelis, præ affectus æstu, qui in grandes erumpit figuræ dicendi, citra sensum aut institutum. Et *interficere* h. l. morali usu, præ affectionis animique motus impetu, grandi auxili adhibetur, pro *non conservare, tueri, alere.* Quam dira optum, inquit, si fas sit, illi, qui a partu me curavit, & non sivit expirare. Crudelitatem videtur laudare affectus calor, præ immanni dolore. Potentiali sensu & nostri, pari casu & affectu: Möchte der Mann alle seine Kinder verlieren / der mich nach der Geburt nicht gleich aufgerieben und aus dem Wege geschafft. Duras manus, cæde non pollutas, accusat & damnat dolor, non in se, sed sub conditione: Cum in peccatore nil minus sit quam talis improbitas & sævitia. Quæ est affectus vis, ut occulta pectoris penetralia occulat, nec patescere

scere sinat, in grandes abruptus figuras, quæ foris apparetur truces & immanes, quin incomprehensibiles. Dolor accusat insontem, qui non factus homicida aut parricida. Dolor sibi a primo partu cædem precatur, & de intermissa sui cæde indignatur, succensetque alteri, quod non fuerit crudelis. Potentiali omnia sensu. Nostri: Wäre doch jemand so barnherzig an mir gewesen / und hätte mich nur unbarnherzig weggerafft: We're Gott / daß der Mann alle seine Kinder verlöre / der mich leben lassen! Qualis conditionata imprecatio, si vellet Deus, si justum, si equum, in sermonis copia & mitiori affectu apud occidentales plana. Oriens, præ sermonis brevitate & affectuum vehementia, absolute saepe profert, & exasperat, quod occidens limitibus circumscribit & mitigat, præ dictioonis copia & affectuum lentitudine. Quare orientalium scripta multo intellectu difficultiora præ occidentalibus: Requiruntque lectorum multo attentiores & in affectibus dicentium curate observandis oculatiorem: Quo sine nec oratio sacra capitur, nec nisi frigidissime ac ineptissime recensetur.

וְתִרְאֵ לְאַמְּרָה קְבָרִי v.17.(4) *Quarta audi doloris idea: Votum abortus.* Utinam & abortivisset mater mea, me gestans. Quæ est nova nativitatis suæ versatio, aut præsentis afflictionis de testatio. Qui abortus duabus pingitur profundis figuris, præ affectus doloris intentione. (1) *Uteri pro sepulcro*, ut uterus matris fuerit sepulcrum Jeremiæ. Quæ est periegans abortus effigies. Ut affectus in figuras assurgit; quas divinus spiritus in Prophetis evexit ultra humanum sensum: Tam grandes, sed & tam

tam congruae & appositae, tamque vividae & luculentæ. (2) *Conceptione perenni, nullo sequente partu.* Quæ incredibilis appareat figura, ex incredibili affectus vehementia, quæ videatur id optare, quod fieri non possit. Perpetua conceptio, sive perpetuo gravidam esse feminam, est negatio partus. Nullum excludi foetum, ut videatur perpetuo grava feminæ; abortu facto, nullus partus. Hoc optaverit dolens, sensu ubique potentiali. *Quam optaverim me in utero periisse matris; quod est, ne non esse natum.* Möchte wünschen wäre begraben / ehe ich gebohren. Wünschete / wäre immer getragen / nie gebohren. Quæ est affectus & doloris in sermonem vis.

v. 18. (5) *Quinta summi & consummati doloris facies:* Plana & aperta querela de infelici sua nativitate, ex immensa vitae sue afflictione. Qui dolor exprimitur (1) tristi & profundo suspirio, ob initium vitæ calamitosissimæ. *Quare lucem vidi!* inquit. Quod non est quærentis, sed ingemiscientis, & præ dolore exclamantis ac conquerentis. Quod quoad rem idem ac, Præstaret non natum. (2) *Aperto suæ continuæ afflictionis indicio,* id est infinitarum molestiarum, quibus exedatur atque conficiatur, haud aliter ac quis laboribus frangitur durissimis, ut defeciscat. Quæ est designatio dirarum persecutionum, quas Jeremias his octodecim sui officii annis immenso onere perpessus, cum à Paschure, tum Synedrio, tum à civibus suis, tum ab aliis. Quam suam duram experientiam, videndi verbo describit, communitorius orbis ore, quod est experiri, sentire, sustinere. Calamitates evident & mortem homines. (3) Publico

למה זה  
מהות  
שאתי

לראות  
על יונון

lico & flebili perpetuis moeroris nuncio : Cujus dies autem  
 vita exedantur & consumantur indesinenti moerore.  
 Quod per breve compendium vehementissimum tristium affectuum , quibus totaejus vita distrahatur & ex-  
 carnificetur in dira persecutione. *Pudor* effigies hic o-  
 mnium tristium Jeremiæ fatorum : Cum ratione odio-  
 rum, convictorum, contumeliarum, insidiarum, pla-  
 garum, carcerum, inhibitionum, ac minarum, ut &  
 periculorum & cædis , quæ animum quassent ac pene  
 prosternant, ut frons ac totum os omnem amittat serene-  
 nitatem, in metu & pavore : Tum ratione quietis longæ ,  
 dum decem annis continuis moeruit, & gentis ex-  
 itium deploravit, conspectumque publicum præ tristitia  
 & dolore fugit : Tum denique ratione imbecillitatis  
 corporis, quod in odiorum & injuriarum impetu, præ  
 tacito metu majoris adhuc mali , tabescat & evane-  
 seat. Tantæ Jeremiæ lacrymæ, quibus dolorem pecto-  
 ris leniat , non extinguit.

### *EPISTOLA*

De genuinæ Exegeseos difficultate , & subli-  
 mi Jeremiæ stylo.

**V**El tute , Vir illustris , vel , quem consulisti ,  
 vir doctus , ipsa Jeremiæ verba Hebraica evol-  
 vit, sententiam cum recensione nostra compo-  
 siturus. Idque tanta sollicitudine , ut , *pro cu-*  
*rata libelli prophetici cognitione* , centena , ut aīs , habe-

as , quæ illustrari cupias. Placuit , ut affirmas , etsi per brevis , nostra enarratio , quæ placitura magis , luce admota majore . Et nihilominus brevitas illa per placet , quæ nudæ inhæret recensioni genuinæ sententiæ , nec allegatis aliorum opinionibus exegeseos nervos distendit. Vere pronicias , inexhausta esse vetusta illa sacra monumenta , quæ , ob immensa styli pondera , figurarum fastigia , & affectuum abyssos , nec mente quis assequi queat , quanto minus dictione digne illustrare. Vir sit omnino , qui Jeremiæ animum quassatum , afflictum , anxiū , querulum , ingemiscēt , fluctuantem , tantum non desperabundum , sanctum tamen , purum , integrum , devotum , religiosum , fidei atque spei plenum , divino spiritu animatum , penetret . Quod nī fiat , verba , quæ animum illum fistunt , nequaquam intelliguntur. Verba signa rerum : Res qui non capit , nec verba capit . In hoc autem libello pectus inspicere Jeremiæ afflictissimi , ægerrimi , ac supra modum dolentis , ut verba intelligantur asperrima , austerrissima , odiofissima , ac humanæ indoli pene indecentia , spiritui tamen divino in summa illa asperitate congruentissima , non est res somni , sed doloris & mœstiae. Abominari suam nativitatem , execrari parentes suos , detestari diem nativitatis suæ , male precari consanguineis , qui in nativitate sua patri nuncium nati filii attulerint , horrere illud parentis gaudium ex nato filio primum , matri in partu sui dira vovere , abortum , quin cædem sibi in primo auræ hojus halitu per cognatos optare ! Et omnia quidem bene , recte , juste , divino spiritu agi-

agitante pectus , os , calamumque quiritantis , se-  
 liosque , parentes & cognatos , execrantis & abomi-  
 nantis ! Capiat illa verborum saxa qui possit ! Frangat  
 hos scopulos in singulis verbis durissimis ! Verba pro-  
 fecto omnibus petris duriora , slices sunt , cautes  
 sunt , prensari renunt , quanto minus teri aut com-  
 minui possunt . Et nihil tamen minus in tanta ver-  
 borum duritie & intraetabili asperitate mollissimum  
 pectus , tenerima mens , sanguinis undæ æstuantes ,  
 lacrymarum rivi , omnes fibræ pectoris liquidæ & dif-  
 fluentes ! Solvat interpres , ausit , hæc montis Sinai  
 saxa . Admoveat Mosis manum , percellat hos mon-  
 tes , dissolvat scipione aut calamo , ut dissiliant petræ ,  
 ut colliquescant , ut rivos fundant , ut fluant : Ut le-  
 &tor saxa bibat , petras hauriat , nec indurescat tamen ,  
 aut saxum fiat . Difficilius profecto negotium , clausos  
 Fontes sacros aperire , & immensam verborum vim  
 dignoscere atque promere , aut recensere , quam pe-  
 tram cum Mose in deserto findere , & lympham e-  
 licere , pro siti exercituum restinguenda . Calamus  
 interpretis frequenter fit robustior ac validior scipio-  
 ne Mosis , quia verba Prophetarum subinde duriora  
 axis montis Sinai . Te proinde colo , Vir illustris ,  
 qui hoc animadvertis & sentis , qui saxa prædura in  
 verbis pervides , tractas & volvis , nec communui ac in  
 arenam solvi experiris , qui potius tanto tenaciorem  
 fieri duritiem conjicis , quanto fricentur magis , ut &  
 mens intuendo hebetetur , & manus versando defeti-  
 scant . Ita est , Vir illustris , illius est operæ , monumen-  
 ta Prophetarum hebraica tangere , prensare & digere-

re

re velle. Hoc est montes aggredi , scopulorum fastigia scandere , flumina ex scopulis evocare. An nostra ætas par sit huic rei omnium durissimæ ! Exege sis non lassarum est manuum , non voluptatis & deliciarum , non effeminatorum nervorum , non otii & soporis : sed virium , sed roboris , sed masculi vigoris , sed intensissimi laboris , qui ferrum & chalybem superet. Convalescere variorum opiniones , est ad faxum vocare multos spectatores , inermes , frigidos , foderes , qui scopulum intueantur , stupeant , nontangunt , non moveant , non emolliant , multo minus lympham sperent. Compilare aliorum sententias , est plumas convehere ad montem Sinai , ad emollienda ac mitiganda faxa , quas levis aura rideat , & faxa non metuant , multo minus sentiant. Mosis brachia , nervos lacerti , & ossa dextræ , sentiat oportet filex , quas machinas metuat ac formidet. Hanc vim poscit Exege sis , hoc robur , alioquin verborum saxa manent faxa , quæ liquorem nesciant , & flumina recusent. Tecum ergo omnino facio , Vir illustris , qui Fontium sacrorum , Propheticorum in primis scriptorum difficultatem ac profunditatem persentiscis. Infantes nihil hic promoveant , & puerorum digitii imbecilles. Hic pueri fugiant & scopulos prætereant ac intacta linquant , suæ imbecillitatis non immemores , crepundiis versandis aptiores , & globulis torquendis magis exercitati. Nihil juvat , vel centum saxo affusisse vini modios , aut generosi liquoris mille amphoras ; non tingere lympham cruento aut laete hic profest , nec sorbere ad sudorem. His faxa non liquef-  
cunt ,

cunt, nec petræ dissolvuntur. Hunc sudorem petræ facile detergant. Humeri saxo admoti, & intensa cervix, dorsumque incurvatum sub mole, ad movendum loco grandem silicem, sudorem extorqueant. Sed tuo me uti ore, indulgebis, Vir illustris, qui ad Jeremiæ scopulos accessisti, sic fatus. Circumspicis post hæc de carmine, quod Jeremias pro se servato & e manibus hostium liberato accinuerit, aut accini in templo curaverit: Cujus mentio facta in exordio Enarrationis, in historiæ descriptione. Non est cur diu de illo circumspicias, qui unicum versum 13. qui librum illum Jeremiæ lacrymosum præcedit, inspicies. Cui sandissimo Jeremiæ modulo, cantioni vividissimæ, ut nonnihil accedat lucis, quia te valde intelligo sollicitum, en extremos nostros digitos, quibus in recensione hac Jeremiæ attigimus cantilenam. Jure dico, nos extremis solum digitis tam arduum læti Jeremiæ canticum attigisse, cum gaudii hic par eluceat sublimitas, ac in altero illo doloris profunditas. Nihil igitur nunc addam, quam ut rogem, ubi per brevem illius carminis aut cantici recensuculam nostram perlegeris, firmiter tibi persuadeas, me gaudii propheticæ celstudinem, adeoque quandam verborum majestatem, radiosque solis fulgidissimos, admirari, adorare, nec præ serenitate & fulgore penetrare tamen: Quanquam toto pectore illo incalescere optem. Tibi, Vir illustris, illius sereni pectoris & fulgentis solis radii penitus fuerint cogniti, aut, ut cum propheta pariter gaudeas, animitus precor!

*Helmst. Anno 1711.  
d. 6. Dec.*

Libel-

## Libellus Jeremiæ XXII. Cap. 20, 13.

**S**criptus unicus hic *versus*, anno 30. Josiæ, post disquisitionem de Jeremia, coram Synedrio institutam, ex qua Dei providentiâ salvus evaserat, necdum, ut animus illorum fuerat, è medio sublatuſ. Quamobrem, postquam parvo nuper libello, c. 20, 7-12. apologiam texuerat pro se, sua causa, & priore sacro negotio animo præſente proſequendo, proque silentio imperato rumpendo: Juxta legum Moſaicarum tenorem, pro sua devotione, ob ſalutis magnitudinem, & divinæ gratiae celſitudinem, pro moribus gentis, ſacrificium obtulerit in templo *eucharifticum*, quo Deo benignissimo gratias decenti modo publice ageret, pro fe ſervato & ē manibus Paschuri & Synedrii liberato. Neque per leges, per religiōnem, per honestatem, intermittere potuit, ipſe faſcerdos, quin hoc officium in templo präſtaret. *Mor*is autem, ut inter adolendum *Levitæ in choro accinerent*. Pro quo Levitarum cantu, juxta diversa ſacrificiorum negotiorūque diſcrimina, cantiones diverſae adornatae. Solebant autem ſubinde novæ cantiones parari, pro personarum & fatorum conditione, quæ inter adolendum ſolenniter cantarentur, musicis adhibitis instrumentis. Composuerit Jeremias & hoc breve carmen eucharifticum, accinendum à *Levitæ in templo*, dum offerretur in ara ſacrificium eucharifticum, pro Jeremia ſervato. Quod ubi cantaretur, musica instrumenta ſimil resonarent; adeoque pro carminis bre-

*vitate repeteretur frequenter*, donec res sacra adolendo finita. Quanquam verò appareat, odio Synedrii in Jeremiam, tum sacrificium ipsum, tum carmen hoc, aduleri & cantari, non fuisse à Paschuro permisum, quod in Paschuri & Synedrii videri posset vergere ignominiam, qui expresse vocati homines mali: Jeremias tamen, carmen hoc eucharisticum irritum & inane non putaverit, dignum quod jure servaretur inter Jeremiæ scripta, suo loco, in perpetuam fatorum memoriam.

*Argum.* Publica Jeremiæ gratiarum actio, pro se è manu Paschuri & Synedrii aliorumque persecutorum suorum divina manu liberato.

*v. 13.* Canticum hoc Jeremiæ per breve, cantu chori musici frequentissime repetendum, quatuor constat momentis & effatis. (1) *Læto fidei in Deum testimonio publico.* Jure meritoque Jeremiam, & cum Jeremia Ecclesiam, gaudere, & suam lætitiam publice declarare ore sereno & clara voce, more canendi sueto & jucundo. Quæ publice fausto & sereno cantu declarata lætitia, testimonium animi Deo fisi in rebus adversis & duris fatis. (2) *Justæ divine laudis præconio;* ut Jeremias, & cum Jeremia boni quique, hunc Deo exhibeant honorem, quem autorem agnoscant salutis impertitæ: Nefas esse filere, ubi magna & egregia Dei beneficia, pro pietate & legum reverentia. (3) *Devoto servati à Deo afflidi Jeremiæ nuncio.* Jeremiam agnosceré gratiam Dei, in se afflito liberando, & publice illam testari ac denunciare, cum beneficia Dei sint celebranda: Inter quæ maximopere excellat afflido-

שׁוֹר לְהֹתָה

הַלְלוּ אֹהֶן  
הֹתָה

כִּי הַצִּיל  
אֲתִכְפֵּשׁ  
אַבְיוֹן

*afflictorum salus*, ubi Deus ex afflictione & insidiis e-  
ripiat. (4) *Diræ suæ persecutionis & cruentæ novissi-  
mæ perquisitionis indicio*: Jeremiam à Paschure, ce-  
terisque Synedrii capitibus proxime fuisse iniquissime  
tractatum, Dei verbum ab illis spretum & ignomi-  
nioso habitum, minis atrocibus illum ab officio profe-  
quendo absterritum, & cædi destinatum. Quæ ma-  
litia extrema, & in Deum ac Jeremiam inexcusabills  
injuria.

### EPISTOLA

ערין, in laudato Jeremiæ libello, c. 20, 15.

esse ἔρημος, orbus, orbatus. Exegesin negotium  
esse difficillimum. Paucissimos intelli-  
gi autores.

**M**ones, Vir illustris, in perparva nostra enarra-  
tione libelli propheticci, te observasse, vel & qui-  
bus uteris amicos, Fontium expertos, plusculum  
nos abiisse à communi interpretum semita, in vocum sen-  
tentia designanda. Non falleris. Id enim factu opus  
fuit. Si omnia jam essent expedita, nullis amplius o-  
pus esset Commentariis, qui indies oriuntur novi.  
Semper adeo relinquitur non expeditum, expediendum  
ab aliis. Ut totum libelli argumentum mihi aliud est,  
quam plerisque interpretibus, ita & voces nonnullæ  
aliæ, quam illis. Isti nomine totius gentis Judaicæ  
opus scriptum existimant, cui desperantis formulæ re-  
ctius videantur congruere, quam Prophetæ, viro san-  
ctis.

Etissimo, religiosissimo, patientissimo, divinitus acto  
& gubernato, cui talia haud exciderint verba, tam  
odiosa, tam morosa, tam suspecta. Credo, optimo,  
divino, pientissimo viro, omnia rectius, certe æque  
juste convenire singula, quam populo vere desperant-  
i. Jobo non alia mens, non alia lingua. Et Psal-  
mi non alio passim ore usi. Vigesimus secundus ali-  
cubi non abludit, cujus verbis usus ipse Salvator in  
summa cruce. Molliculi illi, qui parum aut nihil ex-  
perti, in commentando horrent, quod non senserunt.  
Si cum Servatore aut ipsomet Jeremia vel rapti ad tri-  
bunal fuissent, citius exclamassent, cur me deseris, ô  
Deus. Neque sic Prophetæ succensuissent, quin excus-  
assent, vel laudassent. Commentari, est idem non  
videre sed sentire, certe sensisse, expertum esse. A-  
lioquin iniquissimum de oratione judicium. Unde quo  
quis versatus magis in rebus, quas autortangit, melior  
ac integror interpres: Quo quis minus in illis exercita-  
tus, eo capit sermonem aut scriptum minus, eo minus ad  
recensemendum compositus & instructus, eo longius a-  
bit a scopo. Propius collineat ad scopum, quem vi-  
dit, aut ad quem aliquoties jam tendit, quam quime-  
tam nunquam est intuitus. Peregrina interpres non  
recensemebit, certe non fideliter & integre. Peregrina  
verò illi sunt, quae non perspexit, quae nunquam at-  
tigit. Domestica si fuerint, si familiaria, quae alter sua  
oratione nunciat, interpres illa, probe sibi cognita, o-  
ptima fide integrimeque pronunciabit. Hæc non  
possunt in scena disci, sed nec dici. Mente fingere, est  
nativam indolem ignorare: Est lectores velut specta-  
tores

tores fallere. Scena verò non esto Commentarius. Sine fuso , sine colore hic agere oportet : Simulare, personas induere, hic nefas. Res proinde ubi agitur affectuum in scriptore quoconque , maxime sacro , vanum est mente concipere aut sibi fingere affectus motum, quem nunquam animadvertisit aut in suo sensit pectore. Ludere hoc est , non serio dicere : illudere lectori. Sunt quidem , qui personas tam bene credantur agere, acsi serio agerent: Verum fictio non potest esse diuturna. Calor mox extinguitur , lacrymæ ex improviso arescant, & ridentis promicant infuati motus. Tantâ interpretum differentia: Quanto exercitior, quanto propinquior autoris genio, tanto aptior ad orationis vim declarandam : Quanto peregriniores interpreti res animique motiones , tanto ab autore remotior , tanto & ad interpretandum inceptior. Ut se res habet in recensione , ita & in cognitione, aut sensus veri vel scopi autoris genuini in-dagine. Hæc nativa sunt & genuina , omnium experientia roborata, quotidiana, quæ suum habent in omnium sine discrimine autorum lectione ac recensione locum. Hæc ex intima dicendi arte derivata. Interpretis enim est id dicere, quod dixit atque voluit alter. Ille multis illustrat, quod hic verbo vel uno indicavit. Qui ergo referat , quod ignorat ? Qui explicabit fuse & distincte , qui quid alter voluerit non penetrat ? Hoc lectoribus est imponere , aliena, ab autoris mente & animo remota supponere & subornare , non ex malitia sed ignorantia. Quod sit toto die , in omnis generis autoribus. Virgilium, Hesiodum, Pindarum,

F

Ovi-

Ovidium, Homerum, ceterosque Poëtas omnes, semper in alienum hæc tenus sensum torqueri, omnia hæc docent secula, quæ veterum illorum stylum non habent perspectum. Et ipsæ dilucidissimæ Ciceronis orationes, quam difficiles passim creditæ, ab affectuum recessus! Hos quo quis noverit aut pviderit reætius, eo Ciceronis erit interpres integror: Quo quis ignorat magis, eò interpres frigidior & ineptior. Ne igitur mirere, Vir illustris, autores omnes, exteriores & que ac sacros, subinde clarius explicari, integrarius ac sincerius. *De autorum recensione, sive interpretatione, adum hucusque rarius.* Relinquuntur autores, quos vocant, classici, Græci & Latini, scholis inferioribus, qui Academiarum superant studia & industriam. Non formulis quibusdam aut terminis res expeditur, velut artis modulis: Altius hoc argumentum, quod lucem afferat centenis, vel omnibus, autoribus, veteribus maxime. Bonis literis assurgentibus & sollicitius cultis, aditus ad autores fiet, qui jam in manibus sunt, ast minus cogniti. Folia manibus tenemus, non scriptorum mentem ac sententiam. Indulge ergo, Vir Illustris, & mihi, qui hoc genus literularum amo, pro veteris orbis luce indulge, obsecro, voculam unam atque alteram in parvo isto libello aliter reddi, quam vulgo fastum. Tangis vocem □ִיְעַ. Vulgo reddunt *urbes*, ego *orbum*. Toto cœlo aliter, non nego, nec possum aliter, pro totius orationis serie, pro scopo, & affectu prophetæ. Communiter reddunt, pro execratione describenda: *Sit ille vir sicut urbes, quas revertit Deus, nec paenituit eum.* Sermo est, de uno aliquo

aliquo viro , qui non interficerit autorem , Jeremiam̄ in cunis adhuc hārentem , aut vix natum . Hunc virum abominatur Propheta , precaturque illi perniciem . Hāc unius viri pernicies comparetur cum multarum urbium exitio ? Cum Sodomæ & Gomorrhæ , ceterarumque urbium incendio ? Quæ hāc comparatio ? Maledicturus homini , dicat : Pereat ille vir , si-  
cut perierunt urbes , Sodoma & Gomorra ? Unius ho-  
minis obitus , aut cædes , aut laniana , aut concrema-  
tio , non congruat urbium earumque multarum ever-  
sioni . Hāc longe dissita & valde dissona . Neque ra-  
tio est comparationis : Quia ille vir me non occidit in  
partu meo , ideo pereat sicut urbes illæ perierunt . Quæ  
certe urbes non perierunt ob neglectam cædem , quin  
potius ob intentatam . Quandoquidem ergo illa com-  
paratio nec in se apta , nec comparationis habet fun-  
damentum , facile subolet , vocem aliud quid notare  
quam *civitates* , nec *plurale* , sed *singulare* potius esse .  
Atqui scopus est Prophetæ , describere suam primò or-  
bitatem desideratam , qui maluerit in primo ortu vita  
orbari : Dein *precari illi viro* . qui potuisset Jeremiam  
vitâ in partu orbare , *orbitatem suorum liberorum* , jure  
penæ , qui , quod facere oportuisset , in orbando Je-  
remia , at neglexisset , jam juste luat in sui orbitate , qui  
suis orbetur liberis . Hāc congruunt cum scopo , cum  
rerum decore , cum affectu , & comparationis natura .  
— itaque *orbis* commodissime reddetur . Estque  
*singulare* , idem prorsus ac ἐγμός ; quod , uti de re aut  
loco deserto , relicto , solitario , inculto , ita & de homi-  
ne adhibetur deserto & relicto , qui omni destituitur

præsidio. Speciatim, manifestissime ac luculentissime usurpatur de *orbato*, *destituto* & *carente*. Sic ἔγνωστος φίλων, *destitutus*, *orbatus omnibus amicis*: ἔγνωσι θεραπείας, qui *servis carent*, ἔγνωσι συνυπάκχων, qui nullos habent *adutores*. Unde porro *unicus* & *singularis audit* ἔγνωστος, *unus et solus*. ἔγνωστο est *destituo*, *pri-vo*, *orbo*: ἔγνωσις, *destitutio*, *privatio*, *orbatio*. ἔγνωση, qui *destituit*, qui *privat*, qui *orbat*, ἔγνωστος, *privatus*, *orbatus*, ἔγνωστος, *orbata*. Atque ita עיר orbis, singulare est, formæ צדיק justus, תם integer. Quin idem proflus ac hebræorum usitatus nomen עיר nudus, שׁרֶפֶת nuda, עיר nudus, מערת nudus, עיר nuditas. Quæ omnia respondent græcis, ἐπνυόω, ἔγνωστος, ἐπί ωσις. Quam inter hebræos & græcos harmoniam illustrare præsens epistola non capit: Argumentum locupletissimum, quod amplissimum poscat campum. Sufficerit hac vice, demonstrasse vim vocis עיר, ut est *orbis*, *orbatus*, *liberis privatus*, *destitutus*, *cuius liberi tollantur*, *enecentur*, ac parenti quacunque clade subtrahantur. Quod dirum votum, imprecatioque amara, arctissime cohæret cum toto argumento, ex intimo prophetæ affectu prognatum. Precatur illi homini, suo cognato, cuiusque, suo partui quondam vicino, orbitatem librorum suorum, eo quod non orbarit Jeremiam vita, & Jeremiæ parentem filio. Quæ comparationis ratio nativa & ingenita. Quæ orbatio porro describitur, omnium liberorum obitu, sive naturali sive violento, dei vindicis manu, qui totam illius domum evacuet mortis violentia, & familiam universam extinguat. Unde

de lu<sup>t</sup>us ille quotidianus & amarus. Ut plusculum adhuc in Tui gratiam, illustris Vir, addam lucis, Arabibus etiam verbum superest  $\sigma \tau \nu \alpha$  carne nudare offa  $\sigma \tau \nu \alpha$  arbores cortice, quod est ipsummet græcum  $\epsilon \gamma \mu \sigma \omega$ .  $\sigma \tau \nu \alpha$  oram, nudata carne offa, item, decorticatae  $\sigma \tau \nu \alpha$  arbores,  $\epsilon \gamma \mu \Theta$ ,  $\epsilon \rho \mu \omega \sigma \iota \varsigma$ . Arabes autem græcis debere millenia, apertum. Quemadmodum ipsummet hoc  $\sigma \tau \nu \alpha$  oram arabibus significat & exercitum, ejusve multitudinem. Quod est ex græco  $\sigma \tau \nu \alpha$  corruptum.  $\sigma \tau \nu \alpha$  est exercitus, qui in expeditionem dicitur, agmen, idem ac  $\sigma \tau \nu \alpha$ , copiæ militares, terrestres seu navales,  $\sigma \tau \nu \alpha$ , exercitum in expeditionem duco, bello invado, milito,  $\sigma \tau \nu \alpha$  militaris, bello habilis & idoneus. A quo græco  $\sigma \tau \nu \alpha$  est & nostrum in occidente nomen armée, Armee / & plenius armade, exercitus, quæ non ab armis, armare, quæ alia sunt. Ut à  $\sigma \tau \nu \alpha$  nobis est streiten/  $\sigma \tau \nu \alpha$  Streit /  $\sigma \tau \nu \alpha$ ,  $\sigma \tau \nu \alpha$  Streiter. Ast exercitum hic ducere non institui. Ergo vasa colligenda. Fortean intelliges,  $\square \text{רֵי}$  Jeremiæ hic esse  $\epsilon \rho \mu \omega$ , orbum. Ignosce vero prolixitati, quam extorsisti. Feras ergo, rogito, quod optasti, vel quod non invito obventurum auguratus sum. Vale & fave.

*Helmst. d. 9. Dec.*

*Anno 1711.*

**EPISTOLA**

De distinctione textus hebrai, veteri, in ver-  
sus parvos; recentiore, in versus longos: Pro illo  
Jeremiæ libello illustrando.

**A**gnoscis, Vir illustris, & penitus pervides, quæ sit in bonorum quorumcunque autorum veterum, quanto magis vetustissimorum hebraicorum interpretatione, imbecillitas communis, quam parum intelligantur tot inclyta & illustria monumenta. Res literaria crevit omnino his seculis, largior, sed nondum succrevit, multo minus adolevit, minus adhuc maturuit: Modo non ante ætatem consenserit. Suscitata hæc studia sub hoc cœlo, ante gemina demum secula, cum ante summa regniaret barbaries. Adeoque recentissima sunt, quæ in tanto apparatu scriptorum, quæ conservata & ad nos propagata sunt, sat negotii his seculis facefiverunt viris eruditissimis, ut notis solertibus vim vocum & sermonis veteris usum quam possent dilucide explicarent. Veruntamen, plerique autores adhuc intacti, vel carptim illustrati, vel obscurati magis. Potissima relinquere coacti, vel in-viti, ob reconditos rerum recessus. Res vero ignoratae non admittunt, ut verba, rerum signa, digne evolvantur. Sed dandum temporibus spei incrementum, fore, ut magis magisque prænobile hoc & fere primum, interpretandi autores argumentum, exerceatur atque excolatur. Omnis certe doctrina, omnis eruditio, omnium

mnium artium ac disciplinarum cognitio , priscis de-  
 betur autoribus . His rectius intellectis , artes discen-  
 tur integrius , & disciplinæ emergent serenius , usum-  
 que in vita præbebunt copiosorem . Restat omnino  
 præcipua tantarum rerum pars . Non igitur improbo  
 sentiam , cœruisse bonas literas : Sed nec improba-  
 bis , crescere posse magis , & maturitatem longissime ad-  
 buc distare , cum plerique autores intelligantur vel pa-  
 rum vel nihil . Sed danda hæc sunt ingeniorum soler-  
 tiæ , dei verò providentia , & magnatum gratiæ , quæ  
 apta ingenia sublebet , & scholarum præsidia suscitet  
 ac promoveat . Et Academiæ in hoc genere fiant nitidiores , comtiores , atque strenuiores , cum illis parum  
 antea daretur temporis . Si velint Principes & Magna-  
 tes , florent studia & humanitatis exercitamenta , si no-  
 lint , jacent aut frigent . Illis incrementa accepta fer-  
 re oportet . Sed , ut te sequare tuæque epistolæ vesti-  
 gia , Vir illustris , causam polcis , quare per versuum fi-  
 nes aut terminos divisa vel divulsa sint verba in Jeremiæ  
 libello querulo obvia : Sit ille vir velut orbus quisque ,  
 cuius familiam evertit Deus , citra misericordiam , ut ex  
 filiorum funeribus continuis ludus toto audiatur die : Ubi  
 in textu hebræo versus finis , cum oratio nondum sit  
 finita , adeoque plane relata hiulca , cum in novo pla-  
 ne versu demum sequatur pars effati præcipua : Qui me  
 non occidit ab utero Hæc postrema verba omnino di-  
 scerpta à præcedentibus quibuscum cohærent imme-  
 diate . Siquidem וְרַשָׁן qui , refertur ad præcedens  
 pronomen וְהַ ille . Vir ille , qui . Hoc vinculum in-  
 dubitatum . Perinde etiam , dum aliis redditur quia .

Ge-

Cohærent nihilominus, non divellenda. Deinde, haud obscurum, quæ sequuntur minus connecti cum illis: *Fuisset & mater mea sepulcrum meum!* Quod novum plane abortus votum. Quod cum desiderata sui cæde per virum illum post partum, non quadrat. Novum hoc est suspicuum de sui interitu optando antequam adhuc ederetur in lucem. Ita non solum divulsa præcedentia, sed & connexa porro apparent, non cohærentia, sed prorsus distincta. Neque juvat reddere & per ut, ut esset mibi mater mea sepulcrum meum. Effectus namque ille cædis optatus post partum, non est, *perire in utero matris.* Hoc enim prius fit, quam in lucem edatur; dein si in utero jam periit, non opus est cæde post partum. Quod autem agat de vita adimenda dei ipsius manu in ipso utero ante partum, patet liquido ex repetitis clarioribus verbis, *& uterus matris meæ in eternum mansisset gravidus.* Quæ omnia pro sermonis humani vinculis intelligis curate. Idque proinde moves; mihiique aurem vellicas, quem in recensiuncula aliam orationis distributionem observasse vides. Quia jubes, dicam, & rationem distinctionis dabo. Quondam in Veteri Testamento, Judæis *versus*, quos hodie habemus, tam longi non fuerunt. Habuerunt illi versus alios prorsus, qui cum nostris hodie plane non conveniunt. Veteres Judæi parvos admodum habebant *versus*, aut lineas admodum concisas. Postiores Judæi, sive quod animadverterent, parvas lineolas parvorum versuum obnoxias esse periculo, ut scribæ inter describendum aut lectores inter legendum incauti mitterent nonnullas, cui damno consuli posset, si longiores

giores facerent vers⁹, ut longior & plenior orationis pars  
 illis comprehendatur: Sive ex Christianorum æmulatione: *Novos longos illos produxere versus, quos hodie habent, & ab illis nos accepimus. Quo fato in quolibet libro olim duplo fere plures fuere vers⁹, quam nunc sunt. Quod historie momentum irrefragabile, Judæi ingenuæ descripsere, neque silentio premendum judicarunt: Qui singulorum pene librorum vers⁹ veteres numerarunt, numerumque consignarunt, ac posterorum memoriarum commendarunt.* Quod Morini, Buxtorfi, & quorūcunque peritorum nostratrum calculo abunde firmatum. Res facti est, confessione distincta & aperta ipsorum metu veterum Judæorum. Nec defuere passim in regnis Christianorum, qui optarent, *veteres parvos vers⁹*, autoritate prisca munitos, restitui, aut simul cum recentioribus nostris conservari. Memorabile, *Rome nuper, A. 1697. à viro erudito, Josepho Maria Thomasi, Presbytero ex Congregatione clericorum regularium, resuscitatum esse, quale Potkenius Anne 1518 fere ediderat, Psalterium, vers⁹bus prisco more distingutum.* Eo ordine in toto Psalterii opere vers⁹ sunt *veteres* alii *breves*, alii *recentiores longi*. E. g. In Psalmo primo hodie sunt *versus longi sex*; olim *versus minores quindecim*. In Psalmo secundo hodie *longi versus duodecim*; olim *parvi, viginti & octo*. In Psalmo tertio, præter titulum, hodie *longi versus octo*, olim *breves versiculi sedecim*. Par differentia omnium ceterorum. Sic tempora consulunt, literis, scriptis, monumentis, lectoribus, posteritati. Sic cum tempore alia facies inducitur scriptis veterum, quam

maiores ipsique autores ignorarunt. Quandoquidem ergo à Judæis *loco veterum parvorum versuum*, in Pentateucho non minus ac ceteris libris, *introductioni longi bodierni*, facile evenit, ut, vel consulto, vel pro scribendi fato, alicubi non sententiæ justa attenderetur mensura, sed dividerentur alicubi justius connectenda, & conjungerentur justius distinguenda. Id quod in centenis vel millenis locis in propatulo. Quando igitur per divinam providentiam *textum servarunt illibatum* Judæi, sive *totam orationem* in sua illa nova distinctione retinuerunt plenam atque *integrā*; Boni & periti est lectoris, *de orationis nexu dispicere*. Res redundat in peritiam ac circumspectionem boni & versati lectoris atque interpretis, videre, quæ cohæreant, quæ connectenda veniant. Quod philologorum atque Exegetarum novissimorum, observatione abunde demonstratum. Unde sepiissime evenit, ut *cum fine versus* *bodierni sensus* nondum sit *plenus*, sed *vel integer* *versus* *alter addendus*, *vel pars aliqua*. Sic fit, *in medio versu* non nunquam *novum sensum inchoari*. Accentuum structura, ad longos recentiores versus adaptata, eandem postulat attentionem atque prudentiam, quod ab omnibus monitum curatis accentuum diribitoribus. Tot ac tanta sunt in digna Exegesi momenta, quæ sensum genuinum vel refrenent vel juvent. Vix dici potest, quam difficilis in his labor.

*Helmst. d. 12. Decembr.  
Anno 1711.*

*EPIS-*

## EPISTOLA

De penultimo Jeremiæ libro, in Voluminis  
meditullio.

**V**Oluisti perscribi, Excellentissime Vir, quid nunc agerem. Cur non scribis, quid paterer! Nec enim qui agit quod viro dignum, qui non simul patiatur quod dignum viro. Nullus labor, quin vel mentem vel corpus vel utrumque afficiat, quin vel delectet autorem vel alios, vel affligat. Ita quidem & genius hominis comparatus, ut à corporis indole multum trahat, à sanguinis motu, ab humorum conditione. Corpore presso, ægro, aut debilitato, animus hæret, vigore remittente. Ex adverso, animo distracto & turbato, quacunque affectione, dolore præsertim, mœrore aut metu, corpus ineptum ad res agendas. Sic vita nostra comparata, ut raro utroque præstemus, indeque raro efficiamus quod decebat. Pleraque quæ sunt, conficiuntur obiter, leviter, tenuiter, ut vel corpus vel animus qualitercuntur fert. Qui forti animo & firmo corpore, si velint, agunt fortiter & strenue, quicquid agant. Illos non fatigat labor, mentis intensio, longa meditatio, consideratio, & pensiculatio, veri & recti indago, nec frangit laffitudo corporis. Sic fero & ego lubens quæ accidunt, animo præsente, neque frontem corrugatam in me quisquam animadverterit. *Duodecim symbolis*

G 2

hiero-

*hieroglyphicis* silentii vim , tolerantiæ præstantiam , &  
 dissimulationis commoda infinita , delineari & depingi  
 curavi , quæ imagines in domus meæ conclavi , mu-  
 seo vicino , quotidie sunt in oculis . Injurias omnis ge-  
 neris temno ; fallor , quod fit millies , præ nimia hu-  
 manitate , disimulo , artes & fraudes hominum mi-  
 ratus partim , partim execratus . Defraudant me ,  
 damna æstimo tanquam res quas nunquam possedi . Sic  
 nihil amisi , nullum dampnum passus . Convitia condono ,  
 detorsiones remitto , tanquam vel male edoctis vel non  
 melius educatis . Nulla virtus sine convitio , sine invidia ,  
 insidiis , sine rerum etiam privatarum detrimento . Phi-  
 lologus , qui religiosos vetustissimæ Ecclesiæ codices ,  
 Mosis & Prophetarum monumenta , non per somnum  
 sed curate & serio legit , non potest non animum su-  
 mere , ferendi molestissima quæque . Philologus ,  
 dum omnia patitur , nihil patitur . Constans animo ,  
 quem non tempestas quælibet quasset & concutiat .  
 Novit orbis fata , hominum mores quibuscum versat-  
 tur , quorum per pauci integri . Philologia est odii scop-  
 us , & invidiæ meta ; quia est ignorantiae hostis , &  
 ruditatis pernicies , barbarie funus . Philologia emen-  
 dat institutionem primæ ætatis , juvenumque studia ,  
 adulorum literas per polit , senumque scripta & doctri-  
 nae monumenta illustrat . Philologia fucum in variis  
 disciplinis detegit , errores monstrat , veritatem denun-  
 ciat , vitam civilem juvat & ornat . Atqui veritas o-  
 dium parit . Ergone philologia effervescat , quoties  
 nebulas videt , quoties imbræ sentit , quoties tonitrua  
 audit ? Quiescit , & aërem expectat sereniorem . Phi-  
 lologia

lologia Harpocrates est , Pythagoras est , Socrates est ,  
 Epicetus est , Boetius est , qui filere didicerunt , & do-  
 cuerunt : Elias est , qui in deserto , sub dio , sub arboris  
 umbra dormivit : Josua est , qui soli & lunæ imperavit  
 silentium & quietem : Josaphat est , qui cum quiesceret  
 hostes vicit : Tacita est & Angerona , quæ artem callue-  
 re tacendi : Urim denique est & Thummim , altissimum  
 profundissimumque silentii & elocationis mysterium .  
 In tui gratiam , Excellentissime Vir , pro illustri tuo  
 in mitissimas literas affectu , delineari hæc mea em-  
 blemata curabo , tibique mittam , ut intelligas & co-  
 ram pervideas , quod sit philologiæ pectus . Ne inte-  
 rim nescias , quid ratione muneris pro studiosorum com-  
 modis agam , Jeremia volumen haec tenus publicis horis  
 recensui , & ad finem ferme perduxi , certe hac septi-  
 mana deo adspirante absolvam . Libros prophetæ  
 comprehendit pene septuaginta , non mole grandes ,  
 sed styli dignitate maximos & vere sublimes . Nihil  
 cedit Esaiæ , styli & orationis quadam majestate . Præ-  
 terquam enim quod idem sit in omnibus , quo ageban-  
 tur , spiritus , dictionis decor in Jeremia æque fulget ac  
 in omnibus aliis Prophetis . Præ reliquis certe Jere-  
 miæ volumen perquam difficile , ob libellorum ordi-  
 nem , à collectore quondam , quocunque consilio aut  
 fato , disiectum . Historiæ series plane turbata . Nec  
 laboris fuit exigui , justum reperire historiæ adeo-  
 que librorum ordinem . Illo igitur ordine libellos re-  
 censui , quo non in corpore hodie comparent , sed ex-  
 istere debebant , pro rerum gestarum serie . Ut exem-  
 plum habeas : Ante octiduum absolvvi librum Jeremiæ

penultimum , ratione officii & vitæ suæ , quem haud  
longe ante obitum suum conscripsit , quarto circiter  
post Hierosolymam deletam anno , cum ex Ægypto  
rediisset in Iudeam ; quem in solatium gentis Judaicæ,  
ultimum prope spiritum trahentis , exaravit . Conti-  
netur ille duobus capitibus 30. & 31. Quomodo in  
voluminis meditullio liber comparet , qui tum ratione  
vitæ , tum ratione fati , fuit penultimus , adeoque sub  
finem voluminis poni debuisset . Cras , volente Deo ,  
pertexam ultimum Jeremie librum , diris refertum , in  
urbem Babylonem , qui habetur capitibus 50. & 51.  
quem itidem anno quarto ab eversa Hierosolyma ex-  
aravit . Tanto intervallo duo illi libri hodie distant , qui  
in se conjunctissimi , eodem anno scripti , haud lon-  
ge ante vitæ illius finem . Qui volumen claudit liber ,  
cap. 52. non est Jeremiæ , sed alterius cujusdam , vel  
Baruchi , vel Efræ , vel Nehemiæ , aut alias collecto-  
ris . Perdifficilis hæc Jeremiæ recensio , etiam pro-  
pter Topographiæ veteris tenebras . Demonstravi  
tamen singula , ut puto antiquitati ultimæ congruere .  
Singulos Prophetæ libros quando viva voce , ex offi-  
cio , omni studio & fide , frequenti semper auditorio ,  
enarravi , argumentum dein calamo confignavi , ac au-  
ditoribus dedi describendum . Ut geminus hic fieret  
labor , qui non tantum ore tenus cuncta in quolibet li-  
bro pro orationis tenore , & dignæ Exegeseos regula ,  
explicui , sed & vim ac nervum in literas redegī & so-  
lertibus communicavi . Nec enim labori parco , mo-  
do auditorum commodis inserviam . Mea voluptas  
horum attentio , diligentia , profectus , & auditorii  
inte-

interim constantia. Sunt, qui his digne olim uti & possint & velint. Ita ante ferias proximas, ante hujus anni finem, ad finem perducere dabitur magni Prophetæ opus magnum & arduum.

*Helmst. d. 16. Dec.  
Anno 1711.*

### EPISTOLA.

De Volumine Jeremiæ publice recensito atque absoluto.

**Q**ui alias meis & Academiæ nostræ rebus faves, Vir Magne, frequenter exploras quid rerum agam. Nunc non quærenti exponam, quid hodie confecerim. Dies ultimus est hujus anni, quo per Academiæ statuta salutantur è cathedra auditores. Pro qua lege contigit divinâ providentiâ, hoc die me publice absolvere *grande volumen librorum Jeremie*. Ad impensa Studiosorum vota suscepseram hoc negotium, longum & asperum, nec facile à quoquam in Academiis tentatum, à feriis Paschalibus. Novem menses impensi *sexaginta & quinque Prophetæ libris*, curate ad Fontium tenorem recensendis. Nil juverunt Commentatores, quorum rarissimi Fontium periti, geographiæ imprimis & historiæ veteris

con-

consciū nulli. Smidius Argentoratensis, qui sua ætate  
 quod potuit vel licuit prætare annis, labore omnibus  
 superior & studio, nullo profuit modo, ubi nodus  
 vel exilis esset. Superiores siquidem Commentatores  
 nec historiæ nec topographiæ curam habuerunt, quæ  
 res permagnam posceret curam. Non suevi de alio-  
 rum scriptis censuram ferre, alioquin longo ordine  
 percenserem, quos, selectissimos visos, dum consu-  
 lui, inanes deprehendi. Profunda antiquitas haec tenus  
 sepulta, quod operam postularet diuturnam & ferream.  
 Pro vera igitur Jeremiæ luce, cum nihil esset præsidii  
 à Commentariis, Jeremiæ ævum, pro orbis illius facie,  
 de novo pervestigare, & ex scriptoribus exteris deli-  
 neare oportuit. Ita res civiles, sacrae, idolomania illis  
 seculis in orbe ipsaque Judæa grassante, sine duce  
 eruendæ ac demonstrandæ. Libri Jeremiæ, pene septua-  
 ginta, spissò hoc volumine comprehensi, cum sint omnium  
 confessionem confusi, ut ordo temporis prorsus sit  
 distractus, cuiuscunque collectoris quandam opera vel  
 negligentia: ex pontificiis æque ac Evangelicis, ex illis  
 in primis De Castro, ex his Ligfootus, ordinem qua-  
 lecumque investigare conati, sed labore omnino ir-  
 rito. Tam intricatum & ambiguum argumentum.  
 Plerique penitus desperarunt. Confido, nos ex hi-  
 storiarum penetratibus ordinem demonstrasse genuinum,  
 certe aptum. Eoque ordine libros illos recensui, non  
 pro voluminis texture. Singulis proinde libris recen-  
 sendis historiam curate præmisi, dein argumentum  
 subjunxi, ac sigillatim per omnia dein ivi, vim ora-  
 tionis hebraicæ, quoad vocum etiam prorsus peregrin-  
 narum

narum indolem, quoad geographiae reconditae momenta, quod ad affectuum mæandros, recensendo. Il-  
lam exegeseos observavi regulam, non quæ scholasti-  
cæ referret barbariei terminos & mores, studiosis  
nihil profuturos, ab infucata recensorum bono-  
rum autorum natura alienos, sed quæ sua puritate  
ad rerum accederet naturam, & genuinam orationis vim  
dilucide explicandam. Qualis & Luthero, Philippo, Bu-  
genhagio, Justo Jonæ, Brentio, Selneccero, Pappo, aliisq;  
humaniorum disciplinarum peritis Philologis placuit,  
primis certe veritatis promis condis, & cordatis fontium  
interpretibus. Sic tandem absolvii hodie, post perdiffi-  
ciles labores, in pertinacia auditorum constantia, quo-  
rum ultra quadraginta & ultimâ hachora comparuerunt  
attenti. Puto non preevisse (præfiscim!) quenquam hoc  
recensionis tenore. In nostra proœcto Academia illud  
non factum, per fata; forte futurum posthac.  
Duodecim minores prophetas proximo anno illustra-  
veram pari fide & industria: Sed Jeremias plus o-  
mnibus illis facessivit negotii. Finem tandem, deo  
fortunante, imposui & his non parvis magni volumi-  
nis rebus. Sub finem rogavi auditores frequen-  
tes, deo gratias mecum agerent, qui Fontes hebræos,  
doctrinæ Christianæ fundamenta, permiserit & in hac  
Academia manibus publice versari; qui non conces-  
serit, artibus aut machinis tam salutare studium sub-  
rui; qui auditoribus cupidinem & attentionem, mi-  
hi incolumentem largitus, nulla hora temere negle-  
ctâ, arduum hoc negotium prosequendi, quod in  
ampli auditorii usum in futuris functionibus locuple-

tissimum redundaturum. Meam in illos fiduciam sum testatus , qui persuasus essem , neminem interfuisse malo animo, aucupandi quid, detorquendi, aut deferrendi. Si quis hoc affectu adfuisisset , instructus ab aliis , Fontium imperitis , me condonare affirmavi ; detractoribus dei misericordiam precatus. Meam in toto opere fidem, sinceritatem, industriam, paucis sed pleno animo affeoveravi. Voto denique clausi, deprompto ex ultimo benigno Jeremiæ libro, quem nuperim reconsueram, quin centro voluminis habetur, c. 31, 10. II. 12. Dixi, illos , Fontium cultores, hic Israëlem esse , quos ex variis urbibus & regionibus in unum Academicum collegisset collegium : Optavi, omnes ex Academia velut disseminandos in certos iterum colligi coetus Ecclesiasticos , quibus olim praesint. Deum celebravi autorem , qui solidæ Philologicæ culturam in Academia hac , æque ac aliis multis , publica autoritate ornet , ut Fontes sacri libere tradi & illustrari possint : Eoque pacto custodiverit hactenus publicum & hoc auditorium tanta frequentia , pro hoc Fontium studio, velut pastor protegit gregem. Deum veneratus qui nullis siverit auditores imperitorum aut malevolorum insidiis vel contumeliis turbari , terreri & avocari. Addidi, pro Jeremiæ oratione, Deum omnino extollendum, qui & hunc philologicum coetum, ex Fontium cultoribus constantem , servarit : Qui Reuchlinum, ante hæc duo secula , velut alterum Jacobum eripuerit è manibus adversariorum , quibuscum philologia & sincera Exegesis haud aliter decertandum habuerit , ac Jacob nocte cum robusto suo adversario luctatus , quo

quo tamen factus superior. Deum ergo recte à me & omnibus coli monui, qui in tantis iam olim occultis odiis Fontium studium voluerit esse in hos dies salvum & illibatum, ut vis fortior non præ valuerit. Jure proinde nos gaudere pronunciavi, ore Jeremiæ; vovique & præ sagivi, illos post hæc studia Academica, lætos ad celsum Zionem aliquando properaturos, ad officii sedes, publicasque functiones, in suggestu & cathedra; ut hilares, deo devoti, gaudeant de beneficiis cæli, quibus & in Academia fructi & in officiis fruituri, ex fontium cognitione; haud aliter ac de frumento, vino, musto & oleo, gregibus & armentis, quibus abundant. Prænunciavi igitur postremo, & auguratus sum bene, *illos*, illorumque animos, bene imbutos, *futuros velut hortos irriguos*, qui nec metuere nec dolere amplius habeant, qui ad exemplum horti irrigui vi geant & floreant, *Fontium beneficio*. Quo alloquio, ex Jeremiæ ore desumpto, clausi Jeremiam, collegium, annum, amplum philologiae circulum. Tu vale & vive.

*Helmst. d. 18. Decembr.*

*Anno 1711.*

## EPISTOLA

De Jobo, ejus ætate, & perdifficili stylo.

ACCEPERAS, Vir illustris, quod *Jobum proxime re-*  
*censere instituerim.* Quamobrem, num illud fi-  
at, ex me cognoscere discupis, præterea et-  
iam plusculis in antecessum quæstionibus me  
exercere contendis. Rationem instituti dabo. An-  
imus omnino fuerat, *nodosum hoc opus*, & innumeris  
nubibus cinctum, evolvere & enodare. Verum non  
morbis solum terribilis, sed & falsissimis amicorum di-  
deriis, dentibus potius aut aculeatis linguis toties *con-*  
fossus *Jobus*, ut vix osibus hæreret cutis, merito for-  
midinem incutiat. Non quidem vereor pronuncia-  
re atque asseverare quam *Fontes* monstrant senten-  
iam, tametsi commentantium coetui non accedat: Ni-  
hilominus tamen, tam prope accedere ad *Jobi exerce-*  
tia, ad *Jobi damna*, *Jobi vulnera*, *Jobi cineres*, *Jobi*  
testas, ut frontem & pectus *Jobi exulceratum co-*  
minus inspiciamus, nostrî ævi negat mollities. *Jobi*  
audire eloquentiam, in luce qua frueretur serena, mox  
in nocte & caligine, quâ pressus, in fraudibus, quibus  
circumventus, spoliis, quibus exutus, injuriis, quibus  
oneratus, morbis, quibus emaciatus, amicorum san-  
nis, quibus ustus, nostræ ætatis vix capiat tranquillitas.  
Sine his verò *Jobus mutus*, *Jobus elinguis*, qui  
lectori & interpreti vocem neget, & dicere vetet. Gau-  
dia & tripudia *Jobum* non capiunt, *Jobum* sinunt,  
Jobum

Jobum fugiunt. Lacrymæ, Jobi vibices & plagas ungunt & mitigant. Quam prope amici accedebant, obsecro, ad horridam Jobi frontem? Non acceſſerunt tam prope, ut tangerent ægrum, animo corpore que afflictum: Eminus substiterunt, ut vix oculis observare possent luridam faciem & pilis hispidam, cruxremque stillantem. Horruerunt, pedem retinuerunt, molliculi, ne aura illos læderet infecta circa Jobum, & morbi virus. Nec affinitas, nec sanguinis propinquitas, eis persuasit, sanguinis sui curatius observare & coram inspicere ægritudinem, motum pulsumque, nunc præcipitem æstuantemque, nunc frigidum & remissum planeq; subsidentem persentiscere. Suisanguinis pertæſi, vel solo Jobi conspectu terribili. Illi, familiares Jobi, familiarissimi, quia sanguine conjunctissimi, tam trepidi, tam anxii, tam exanimati, tam imbellies, ad solas rugas in fronte, & pendulas genas, eminus animadverfas, fugiant ad vocem Jobi fractam, exilem, tremulam? Qui tristem & corrugatam videre frontem vix poterant, multo minus ferre sustinebant altissima ægri suspiria, profundissimos anhelitus, interrepentinos continuos dolentis sibilos. Qui nec uidi & exēſi corporis umbram contueri, nec trepidum anhelantis sonum audire volebant, quidni fugerent, ubi tacitus secum loqui & indignabundus submurmure, ac verba glutire ambesa, animadverteretur? Illi accederent tam prope ad latus decumbentis, ut cum nidente aëre sorbere valerent & verba interrupta ægerrimaque? Illi cum sanguinis impetu affectuum in pectore attenderent fluctus? Longe abesse juvabat,

non accedere , nisi quo usque radii oculos ferirent, aut  
 aer loquentis ægri sonum communicaret. Vedit hanc  
 sui sanguinis fugam Jobus , cognatos eminus subli-  
 stentes, doluit & amare deploravit. Quodsi tantum  
*inter-vallum inter Jobum & propinquissimos* , quod non  
 futurum *interstitium inter Jobum & nos* , qui nulla san-  
 guinis cognitione , nulla familiaritate illi conjuncti ?  
 Exteri nos , à Jobi domo secreti , à Jobi familia semo-  
 ti: Nec ullo vinculo ad invisendum Jobum obligati ,  
 quanto minus ad terrores illos omnibus sensibus ab il-  
 lo accipiendo devinetti. Quanto ab illo remotiores  
 tanto magis incolumes. Nosse , & coram ex Jobo  
 accipere , vel visu vel auditu , fatorum injuriam,mor-  
 borum vim , familiæ & cognatorum dentes , nullam  
 pariat voluptatem. Laceram ergo viri cutem linque-  
 re satius , quam intempestiva curiositate , fata , adver-  
 sitatem , constantiam , ex ægro discere. Invitus ne-  
 mo huc adiendus , sponte nemo ad naufragium , ad  
 contagionem. Siccine Jobus deseratur à suis , siccine  
 & à nobis ? Non proinde mirum , *paucissimos jam o-*  
*lim , Patrum seculis , persuaderi potuisse , ut Jobum in-*  
*viserent , Jobum salutarent , ut vel lateri cognatorum*  
*se jungerent . Intolerabilis his magis visus conspectus*  
*ægri quam sanguini & domui viri . Quotus quisque ve-*  
*terum extitit , qui in Jobi domo versatus , Jobi os peccus-*  
*que digne recenseret ? Quod ex Jobo non acceperant , ad*  
 quem accedere horror vetuit , effari nefas. Hinc tan-  
 tum apud majores de Jobo silentium. Nominis servasse  
 memoriam , & malæ mulieris , suffecit. Meliori æcta-  
 te , cum secula barbara effluxissent , cum bonæ literæ re-  
 ditum

ditum parassent, cum Fontes detecti innotuissent, cor-  
dati quidam *viri Jobi casam*, Jobi fascias, Jobi tormen-  
ta, invisere & *lystrare austi*. Magnus animus hosmu-  
nivit, qui non squalorem, nec gravem odorem, nec  
feminæ, nec cognatorum feralia solatia percipere &  
audire reformidarent. Accesserunt ergo, et si rari,  
ad Jobi maciem & ossa vix te&t;a, ut viri afflittiissimi  
mentem, genium, verba, quomodo cunque percipe-  
rent. Verum millenis umbris territi resilierunt *pleri-  
que*; ut Jobum in illorum Jobo querere oporteat, qui  
non Jobum pinxerint, sed senem ex nobis marcidum,  
qui Jobi nullo respondeat sensu. *Tam longe hodie adhuc  
absimus à Jobi familiaritate*, ut nunc demum inter re-  
centissimos interpres ventiletur anceps argumen-  
tum: *Num Jobus, siue liber de Jobo, quem tenemus, sit  
primitus lingua scriptus Hebraica, ut supereft, an potius  
alia, ut periit.* Solertissimi visi vel conjecterunt, vel exi-  
stimatunt ac intrepide prodiderunt, Jobi opus, ut pos-  
sideremus, non ab autore hac diale&t;a fuisse primitus  
exaratum, sed versionem esse in manibus nostris ope-  
ris aliâ primum linguâ scripti. Et arabico quidemi-  
diomate ab autore ipso exaratum fuisse hi autumant &  
produnt, ex quo postmodum Hebraico stylo donatum.  
Atque inde suspicantur tot peregrinas irreplisse voces,  
tot insueta vocabula, tot formulas insolitas. Atqui  
omnem illam peregrinitatem profectam ex primigenii  
Arabici styli consuetudine. Interpretem, hebraico  
ori servientem, declinare ubique Arabicum loquendi  
modulum non potuisse, indeque indolem illius diale-  
cti primæ servasse. *Ab his primum questionibus hoc se-  
culum*

culum ordinatur Jobi consortium: Creditque, frustra in Jobo illustrando laborari, nisi primum de idiomate autoris primo res sit expedita. Libere & palam, sine hæsitatione, hi autorem Arabem, perditum, interpretem Hebreum, servatum pronunciant. Eo illos compulit asperitas, ut appareat, *styli*, & vocum infinitarum habitus prorsus insolens & peregrinus. Animadverterunt hi viri eruditii in Jobi charactere insoliti plurimum; Unde non mirum, illos dextrorum & sinistrorum rapi & trahi, pro reperiendis vestigiis primis. Condonanda profecto his claris viris fluctuatio, quam sollicitudo extortis inquirendi in primos peregrini in Jobo *styli* fontes. Non vertendum vitio ingenii magnis, si difficultas rerum ad præcipitia interdum videatur adigere. Laudanda scrutandi solertia & ingenii acies. Versionem operis perdit in Fontium volumine religioso, ægrius agnoscant timidi, ac nodosam agnoscere coguntur Jobi linguam. Via veritatis difficilis & salebrosa. Quam obrem alicubi impingere linguam, hac illac flexam, inque omnem plagam agitatam, non indigne ferendum. Non simul ac semel invenitur veritatis trames, ubi non sunt qui cum cura præivere. Tuitior utique semita, Jobum preesse sequi, ex primo Hebraico ore, ut existit. Ut genuinum primique autoris omnino sit opus, quod possumus, non versione aliunde translatum. Salebræ, ex *styli* usu peregrino, ex vocibus & phrasibus, tolli alio possunt modo, viaque magis apta. Interea patet, quam remoti adhuc simus à Jobo, & quam parum in tam profundo & perobscuro volumine expectari potuerit lucis, quam non animadverterent

viri

viri docti , nisi in opere extraneo & deperdito. Juste pro primo , genuino , sincero , puro , primi autoris o-  
pere servamus , ut accepimus & oculis manibusque  
versamus. Et metro quidem illo primum hebræum au-  
torem omnia clausisse , quod nunc comparet , credi-  
mus merito ; nec opus conjicere , primum autorem A-  
rabem sermone libero fuisse usum , interpretem hebræ-  
um postea addidisse vincula præsentia. Prima ac sin-  
cera omnia , ut sunt , omni ex parte. Interea non ne-  
gatur aliis jus & arbitrium dispiciendi porro curate ,  
quæ sit origo & quæ fata operis , quæ dialectus , &  
quæ styli facies peregrina. Nolim igitur nunc cum  
Spanhemio eo de argumento contendere , nec re-  
centissimorum philologorum , qui vestigia ejus legunt ,  
rationes ventilare ; cum nec sentiendi libertas per il-  
los quassetur , nec integratati voluminis quidpiam de-  
rogetur , qui profitentur ingenui , & interpretem he-  
bræum , qui ex Arabico redderet , divinum fuisse scri-  
ptorem , divinitus in versione actum , & autoritatem  
libri esse divinam , Neque in his senilis rigor & plus  
quam Catonica severitas veritatis indaginem juvat. De-  
tetur igitur viris inclytis conjiciendi arbitrium , quod  
veritati nihil detrahit , sed lucem caligini affundere al-  
laborat. Pari proinde jure & nos pro primis haec tenus  
habemus omnia , quæ in hoc opere contuemur. Post-  
haec , quia Arabs existimatus autor , vel gente , adeo-  
que sanguine , vel primigenio styli usu , aliter mederi  
se non posse opinati viri eruditæ , quam arabicæ lin-  
guæ nuperæ aut superstitis præsidio. Sic peregrina  
omnia , voces & phrases , verba & sententias , arabi-

ca vocare placuit. Dandum & hoc viris ingeniosis,  
qui tñderent, quo pertingere licet. Neque sine co-  
lore illud vel quæsitum vel venditatum, quod magna  
passim appareret *affinitas inter voces & verba Jobi infue-  
ta & inter Arabica.* Quæ frequens similitudo illos  
jure pellexit in Arabiam & invia deserta. Ex quibus  
& hoc rursus manifestum, quam ægre *Jobus ab interpre-  
tibus vulgaribus ad colloquium potuerit vel vocari vel  
admitti*, qui Arabicarum rerum essent expertes. Tan-  
tum iterum obstitit Jobo illustrando. Nec valde mi-  
rum, *Jobum fugisse omnes, ob os distortum, in tam ele-  
gantis metri decore.* Vel morbus, vel dolor, vel pla-  
gæ cognatorum, genis Jobi inflictæ, tantopere Jobi  
os turbasse non videantur, quantopere Arabicæ gen-  
tis lingua dicitur *Jobum inflexisse.* Operosi proinde  
viri, quibus & antiquitas, & doctrina varia, & bo-  
næ literæ, & linguæ, curæ sunt cordique, in voci-  
bus Jobi insolentibus volvendis & ex Arabicō solo  
effodiendis. Laudanda illorum industria & non con-  
temnenda opera. Nec enim viri docti laude privandi  
in laboris contentione. Succurrendum, addendum,  
emendandum, sine honoris detimento. Quisque  
id in rem conferat, quod vero congruum judicat, vel  
accedere proprius auguratur. Ingenium acutur usū,  
non vituperio. Respublica literaria non calido san-  
guine, nec atro cruento augetur aut illustratur, sed  
mutuis & conjunctis ad juvandum, ad exercendum,  
ad ornandum, ad perficiendum operis. Dabimus se-  
culis sua jura, suas moras, suas spes. Superior ætas  
non vidit nostram, nec res nostras, nostra non videt  
fecutu-

secuturam. Non attingunt omnes scopum, qui collimant, quid refert? Intendant alii pari attentione, feriant centrum, aut accedant propinquius. Neque divina providentia literarum lucem momento oriri finit. Longa nox longam spondet auroram, eaque lentum & longum ortum. Neque per horam meridies, ut sol attingat fastigium. Quin nonnunquam, ubi sol in vertice, non observatur, negligitur, ut occumbat iterum, donec alio die resurgat. Aliqua secula habeant solis lucem, & pene in vertice, sed non curent, aut negligant, oculum bereque iterum finant. Ferenda intervalla, eaque frequentia. Assensi & ego diu illis, qui Jobum ex arabicis ruderibus eruuerent ac resuscitarent. Veruntamen, centena loca tanto deprehensa obscuriora, quanto certiorem expectarent ex Arabia lucem. Hærendum ergo hic denuo, & firmius, ut nec elabendi pateret via. Donec tandem ex ætate libri visi alii allucere radii. Nova idcirco, recentissimaque, *de libri ætate quæstio*, eo viros literarum consultos deduxit, ut animadverterent, non tam vetustum opus, ut jactent Judæi, suarum rerum minime consci*i*. Jobum, ætate patrum, virum religiosum, extitisse, Mosis testatur opus. Ast, inde non sequi non inique judicant, *opus hoc de Jobo*, ejusdem esse senii. Alii proinde ad Salomonis ævum, alii ad recentius referunt. Neque indignandum iterum viris doctis, quod hæc talia nondum plane expidiverint. Raris fortuna suppetit, vel præsidiorum opportunitas. Dandum seculis multum. Neque adeo vel Spanhemio, vel amicis, item ea propter mo-

vebimus, qui pari jure existimamus, *opus omnino non  
Mosis etatem attingere, sed multo esse recentius.* Meā  
quidem sententia, dum ultro citroque omnia discussi,  
tam illustre opus scriptum *estate Jeremiæ, Ezechielis,  
Danielis & coævorum, Hierosolyma jam deleta, republi-  
ca eversa, vicinis gentibus, Iudeorum cognatis, regno  
peffundato insultantibus.* Cui similia prorsus argumen-  
ta in libris postremis Jeremiæ, multis Ezechielis, nec  
paucis Psalmis, illa tempestate scriptis. Quomodo de  
Jobo, & in Jobum, adornatum opus magnum & ve-  
re magnificentum, *effigies regni Judaici, mille ante finem  
modis, di-vinâ providentiâ, quassati, lacerati, exhausli-  
tandemque, in morbi & exitii paroxismo, ab omnibus po-  
pulis propinquis, Edomeis, Moabitis, Ammonitis, Syris,  
Iudibrio habitu & contemti.* Atqui hac ævi & fatorum  
conditione, postquam Scythæ & populi Pontici, Scy-  
this conjuncti, Asiæ aliquoties domini, omnes terras  
pervagati, Judæam quoque aliquot annis erant depo-  
pulati: *Hebreæ gentis æque ac vicinarum, Syrorum,  
Arabumque lingua & ex illis diuturnis hospitibus græcis  
nova multa ascivit, vel inscia, nomina & vocabula.*  
Galli si vel decem annis germaniam tenerent, omni-  
bus linguam darent suam, germanica sponte fugiente.  
Sic hostes grassantes, hospites frequentes, lon-  
gâ mora cives facti, civitatem beant novâ linguâ, ve-  
teremque vel extingunt vel corrumpunt, vel flectunt,  
si non ornare aut locupletare dicantur. Sic hebreæ  
non minus, ac Syriaca, ut & Arabica, præter vete-  
ra condimenta, de novo est à græcæ dialedi gentibus do-  
minantibus, peregrinis onusta si non comta aut ditata  
formu-

formulis. Quamobrem, pro hac historiæ luce uni-versa in  
 Jobo obvia peregrina felicissime ex Græco repetuntur &  
 illustrantur fonte. Brevisima & planissima hæc via, o-  
 mnes in Jobi stylo nodos solvendi & obscuras voces uni-  
 versas luculentissime illustrandi. Arabica certe ab illis  
 seculis, ante quæ floruisse nullis constat documentis,  
 nec minimis reliquiis, per incursiones Ponticorum &  
 Scytharum, postea & remotiorum circa Alexandri  
 tempora græcorum militum, pene tota evasit græca.  
 In illa profecto, quæ hodie in scriptis existit, plera-  
 que græca esse, intelligent, qui sensibus utuntur. Ne-  
 que bello illud *jus* denegatur, citra deliberationem no-  
 rum gentios imperandi. Ab Alexandrii in Syria & Judæ-  
 a imperio, eosque os Judæorum & Syrorum, o-  
 mniumque vicinorum populorum, etiam Ægyptio-  
 rum, est inflexum, ut brevi post græca lingua in orien-  
 te flore suo certaret cum patria. Doctissimi Judæorum,  
 græca lingua velut vernacula usi, hebræam tunc cor-  
 ruptissimam ignorabant penitus. Hæc jura belli, ut  
 in æs, ita & os. Experientia ejus perpetui juris te-  
 stis irrefragabilis. Quod ut ex historiæ penetralibus  
 illustremus luculentius, jam ante Mosen Scythæ, in  
 primis suis per Asiam expeditionibus & diuturnis bellis,  
 urbes permultas in Syria ipsaque Palæstina condide-  
 rant. In quibus excelluit jam ante Mosis ævum Scy-  
 thopolis, Betschan, Scytharum sedes, quæ urbs grandis  
 in littore Jordanis, haud longe à mari Galilææ sita,  
 quæ in utroque littore, ultra & cis Jordanem, di-  
 titionem suam extenderet, tam fuit potens jam illa  
 tempestate, ut Josua cum suo exercitu ab hac Scytha-

tharum in Palæstinæ gremio urbe cogeretur abstine-  
 re , quam subjugare non valeret,cum suis oppidis &  
 pagis , ad metropolin illam Scytha rum pertinentibus.  
 Sic Scythæ jam ante Mo sen , ante ingressum Judæorum  
 in Palæstina m , ante Josuam , in Canaane floruerant ,  
 potentia excellentes. Neque unquam hoc Scytha rum  
 emporium à Judæis fuisse ad finem usque postremæ Hie-  
 rosolymæ subjugatum , conjiciunt viri quidam soler-  
 tes Cum dominio , cum st ore gentis peregrinæ , peregrina  
 quoque floruit lingua. Scytha rum etiam in sua Bet-  
 schanitica sede potentia per ditiones ac provincias quas-  
 dam finitimas ultra Jordanem diffusa. Quæ terræ cum  
 & Arabicæ audirent , Scytha s jam remotis illis seculis in  
 Arabia dominatos patet. Quia via , & illis ævis Scytha  
 græca suæ linguae usum , infinitis ad minimum vocibus ,  
 illis & finitimus vel non sentientibus communicarunt.  
 Quo tempore & gentis Israëlitæ os non potuit non ad-  
 mitttere aut adscircere sermonis in illis oris recepti vo-  
 ces & formulas obvias. Ita secula sequuntur sua fa-  
 ta , & linguæ miscentur seculis , commerciis , migra-  
 tionibus , ferme sine sensu. Gallica & Hispanica lin-  
 gua , quam induerunt os Latinum ? Quod uno alte-  
 roque fiat seculo , uno alteroque bello. Quantum  
 quæso os Teutonicum hodie adscivit ex Gallicis labris ,  
 ad quæ sua componit , tornat , & velut ad amussin ad-  
 aptat. Belli arma nil tinniunt nisi gallicos bombos ,  
 in ipsis Teutonum auribus. Et architectura militaris in  
 nostris met finibus gallorum lineas & mensuras , cir-  
 cinos & angulos crepat. Neque putet Teuto , se loqui  
 posse , nisi galli adsciscat opem , vix bibat sine gallica  
 lin-

lingua , nec coenet nisi gallico palato, nec pitisset nisi  
gallicis labellis. Sed nec valeat ferme, nisi gallico mo-  
re. Nulla gens linguam suam avitam per tria aut qua-  
tuor servare potest secula, nisi magna superiorum cura,  
& vel editis publicis; quod fit raro. Ubi Latina vetus,  
occidentis voluptas , & Romæ gloria? Italica nova sur-  
repit, Latinâ vitiatâ , & in libros relegatâ . Gallica pri-  
stina, qualis & ante duo secula, monumentis testibus,  
hodiernis gallis invisa , horrida & inulta, quam nec  
docti ubique penetrrent. Os hodie plane novum. Ger-  
manica scripta ante hæc quatuor secula , vix hodie sine  
commentariis & Lexicis capiantur. Tanta differentia  
oris. Græca prisca frustra quæretur in græcia, satis in  
priscis latere monumentis. Bella in primitis hæc linguis  
injiciunt frena , easque ita sæpe refrenant , ut vix mo-  
tus supersit , certe sonus absonus. Novi coloni sibi jus  
vindicant fandi , & vel veteribus adimunt , quo usi, vel  
miserere permittunt. Sueci, cum animadverterent no-  
vissime , & suam linguam temperari aut adulterari exte-  
rorum assumentis , publicis curiæ decretis severe cave-  
runt, ne quis misceret peregrina patriis & nativis ; pu-  
ritatem oris aviti tuerentur. Quot collegia, quot con-  
gressus gallici consecrant suæ linguæ excolendæ , perpur-  
gandæ , ornandæ , perficiendæ , dicendo non minus  
ac scribendo ! Intelligunt, hæc pleætra pendere abar-  
bitrio moventium ac pulsantium. His igitur modulos  
præscribendos rati, quibus hæc cum decore uterentur  
tempora , donec posteri iterum concinnarent alia, pro  
suo arbitrio & aurium judicio. Continua gentium  
mixtura, interminatus bellorum furor , remotarum et-  
iam

iam gentium irruptio frequens, præter pacata commer-  
cia, nullam gentem liberam existere permittunt à pe-  
regrino oris habitu. Successu temporis, cum initia mu-  
tationum non animadverterentur, fero & frustra, et si  
cum cura quæritur, quæ vocum sit in diale&tis patriis o-  
rigo. Germanicæ nostræ origines quot jam peperere  
curas, quot genuere disceptationes, quot convexere  
volumina? Et nihilominus adhuc disquiritur, num os  
nostrum Græci, num latini sit ortus, num nobiscum  
potius natum. Negligentia majorum, quæ literarum  
nullam habuit curam, posteris laborem reliquit inex-  
plicabilem, fontes rerum investigandi & verborum.  
Neque vero absque verbis bene cognitis res cognoscun-  
tur recte aut plene. Nullus proinde in amplissimo  
scientiarum foro, in vasto literario orbe, labor tenaci-  
or, onerosior & longior, quam *scriptorum interpreta-  
tio, ob linguarum involucra, & sermonis implexos signi-  
ficandi modos.* A sermone, adeoque lingua, omnis do-  
ctrina pendet, à doctrina rerum cognitio. In linguae i-  
gitur indolem, sermonis vim, vastissimus disciplina-  
rum ambitus redundat. Neque verò ulla ha&etenus lin-  
gua, quoad exprimendi & signandi modum digne ex-  
plicata aut illustrata. Pleraque dicuntur & scribuntur,  
ex parte intellecta: Plurima plane non capiuntur, multa  
male & perverse, ex linguae cultu neglecto, & inevi-  
tabili ambiguitate. Quantoque antiquius scriptum,  
tanto necessario difficilior opera, mentem autoris pe-  
netrandi: Vel ex eo, quod linguae vis atque natura mi-  
nus sit exculta. Quidni jam tandem penetres, Vir  
Illustris, quare *Jobum* differam, cuius recensio tena-  
cissi-

cissimum postulat laborem , uno anno nequaquam terminandum. Scio , quantum negotii passim faces-  
siverit *Jeremias* , qui præ ceteris facilis & planus vulgo creditus. Cujus volumen pridem absolutum non ni-  
si proximos novem menses sibi vindicavit ; ast totos interdum dies uni alterive voci digne eruendæ conse-  
cravit. Dici in cathedra uno momento potest , quod multis diebus , multis curis & vigiliis quæsumum , æ-  
greque tandem repertum. Ex orationis compendio in maturanda libri recensione non potest colligi præ-  
euntis sedulitatis & longi scutaminis molestia. Au-  
ditur leviter , quod ut diceretur perspicue , difficilli-  
mo formatum labore. *Jeremiam* itaque , sexaginta &  
quinque libellos complexum , postquam his diebus ante  
has ferias , deo adspirante , publica recensione absolu-  
vi , attentio auditorii ardens & constans , non tam dif-  
ficilibus monumentis , ut *Jeremias* fuit & *Jobus* est , de-  
nuo & sine respiratione urgenda. Flagranti auditio-  
rum desiderio , post injectum Rabbinorum quendam  
chorum , his etiam scriptoribus recensitis , tempesti-  
ve respondebit sublimis genii & perarguti oris *Jobus*.  
*Helmst. in Academia Julia A. MDCC XI. d. 30. Dec.*

**S**ufficient , ex solertia carissimi Philologicæ cultores ,  
paucæ istæ ex epistolis lineæ , pro nupero vestro in Je-  
remiam studio commemorando. Vestram silere sedu-  
litatem nefas. Sciant alii , sciant & vestri nepotes ,  
vos in Academia , pro scopi vestri regula , non neglexisse  
metam , quin *Fontes sacros* , & in his Prophetarum monu-  
menta , evolvisse & expendisse sedulo. *Jeremiæ Jobum jun-*  
K gi

gi optastis. Suo succedet tempore. Nunc vestris pro fe-  
 & tibus consulere necesse fuit, quorum seniores exAcade-  
 mia in patriam mox reversuri in Commentatores ali-  
 quando incident, qui Rabbinorum scatent locis & sen-  
 tentiis, ad quæ peregrina, quibus commentarii superbiant,  
 hærere & horrere cogantur. Præterea par juscommen-  
 tariorum in Codices hebræos, autoribus hebræis vel  
 Christianis. Et in his potiora ex illis hausta. Qui proinde  
 judicare de utrisq; volent, quo usque ad Fontes accedant,  
 quo usq; ab illis abeant, legere tenentur illos aequæ ac hos  
 Sunto profecto aliqui in Ecclesia, qui solide sint docti, qui  
 fundamenta calleant, qui probæ Exegeſeos & sincerae  
 philologiæ penetralia norint. Ne tandem cathedræ &  
 Collegia traditione magis aut opinione quam veri sci-  
 entiâ personent. In Academiis omnia nobilita, Ecclesiæ & rei-  
 publica proficua studia, curate tradenda, ac illuſtranda diligenter,  
 publico in primis auditorio, quod omnibus pateat: Ult com-  
 mune ius & liber accessus adimat occasionem sero conqueren-  
 di, non fuisse è cathedra traditas, velutiliores, vel primas &  
 potiores studiorum partes. Conscientiæ omnium & dili-  
 gentiæ, Ecclesiæ quoque commodis, ut & communis e-  
 molumento, quin & posterorum expectationi hoc pacto  
 satis fit. Quantum in me, scitis, nullus vobis querelæ su-  
 perest locus, neque olim in officiis vestris accusabitis si-  
 lentium. Quandoquidem ergo superiori anno *Jeremia Volu-*  
*lumen* pertexuisti, primis hujus anni mensibus ad Pascha-  
 tis ferias *Kimchium*, *Judæum Hispanum*, *in Hoseam*, publice  
 accepisti: Quod inter Hebræos Commentatores, *Judæo-*  
 rum doctores veteres, *Kimchius* perspicuitatis famâ a-  
 pud *Judæos* & *Christianos* excellat. Præavit igitur suo  
 jure,

jure, non solùm quem intelligeretis facile, sed in primis,  
 quod præcipuae versiones & Lexica potiora Kimchii ve-  
 stigia legant. Fontes itaque commentariorum primum  
 communes cognoscendi. Ad *argutiorem* nunc pergen-  
 dum *interpretem*, *AbenEsram*, & hunc Hispanum Judæo-  
 rum doctorem, ingenio & doctrinâ Kimchio longe supe-  
 riorem. Genio par stylus. Pro mentis acie oratio concisi-  
 or, indeque haud raro ex nervorum cumulo penetratu  
 paulo difficilior, peritissimis Judæis testibus. Qui varia-  
 rum linguarum & disciplinarum externalium decore  
 Kimchium superat, sensu literali indagando vel expri-  
 mendo aptior frequenter deprehensus, & genuinis vo-  
 cum significationibus detegendis felicior. *Historiam* &  
*Geographiam* veterem excipimus jure, in quibus hospites  
 nō tantum Kimchi, sed & AbenEsra, cum toto Judæorum  
 exercitu, quo non expeditiores multo interpretes Chri-  
 stiani. Hoc enim in *interpretando prænobile Philologie* mo-  
 mentum superioribus seculis penitus ferme intactum, abs-  
 que quo interim integri libri vix verbo intelligentur.  
 Exempli numero, Hof. 5, 13. ܐܲܰܰ Jareb, utrique, AbenEsræ  
 & Kimchio, est nomen oppidi in Assyria; cum sit Arbaces,  
 Medorum princeps, regiæ tandem dignitatis, illa ætate  
 potentia & fama Assyrios æmulatus. Sed condonanda  
 hæc talia Judæis, quorum & Christiani commentatores  
 veniam sibi exposcant. *Minima* siquidem solidæ philologie  
 pars in bunc diem exculta, ad quam admittuntur admodum ra-  
 ri, siue contemtu a-vocati, siue difficultatis formidine territi,  
 siue insidiis retenti imperitorum, ne peritiores evadant in Ec-  
 clesia ipsis; ut sunt fata & studiorum impedimenta varia. Ne  
 quid proinde & in hoc Judaicorum interpretum campo  
 desid e-

desideretur, *Commentarium AbenEsra in Hoseam* ab his feriis Pascha libus hoc vere publice recensēbimus. Pro vestra peritia, sed & indefesso studio, non multum vobis faceſſet negotii. Quamobrem, quem jam orſi ſumus novifime, die VII. Aprilis, pertexemus integrum, vel ante ferias Pentecostes ad finem perducturi. Facitis, quod Philologiæ cultoribus dignum, qui fatis utimini præſentibus, quibus caruere majores. Publico Auditorio, eoque, ut vestrūm est, pro his studiis, sat numeroſo, veterum hebraicorum interpretum monumenta, Rabbino-rum, doctōrum Judaicorum nomine inclyta, recenseri, nec illa parvo numero, vel unius ordinis, etati majorum fortuna negavit, noſtra dedit. Viginti his & duobus annis mea professionis Academicæ plus simplici vice Kimchii, AbenEsra, Raschii, Abarbanelis, Salomonis ben Melech, diversa eaque difficultiora in Codices hebraeos Scholia & commentaria è publica cathedra recensere contigit, audi- toribus subinde ultra ſpem cupidis & frequentibus. Quibus addita ex Maimonide præfertim de *Judaorum statutis & ritibus* pluscula. Juncta illis alia, quæ vel ingeniū acumine præcellerent, ut est סְרֻעַ De aleatore arguto & pœnitente, vel doctrinæ referrent symbola, quale לְקָרְבָּן Jegeli Catechismus Judaicus. Quorum plura ex noſtra Typographia Academicæ in auditorum uſum refuſcitarū curavi. Ma- jora atque abſtrusiora antiquitatis Judaicæ argumenta & scripta, ad communem publicam cathedralm hæc ætas nondum admittit, ſed privatis adhuc relinquit congressibus, quibus rariores comprehendantur, qui fontes quarant etiam profundiōres. Agite ergo, & quissimi philologiæ estimatores, AbenEsram vero hoc tem- pore ſereno ſole vernantem audite, & ad finem mecum lāti de- ducite; Ut etiam de AbenEsra in recentioribus Commentariis millies laudato judicare olim queatis recte, ſed & iſummet ubi opus conſu- lere, pro ſententia Fontium Hebraicorum indaganda aut diſcer- nenda. Valete, memores, vost temporis in Academia bene lo- cati & philologiæ excultæ fructum in publicis aliquando officiis vestrī messuros exuberantem. P. P. in Acad. Julia Anno MDCCXII. d. IX. Aprilis.





Fd 11275

X 2366362

VDM

WZL

ET



HERMANNI von der Hardt  
PROGRAMMA  
IN  
ABENESRAM  
*PUBLICE RECENSENDVM*  
JEREMIA RECENSITO ET JOBO  
EXPECTATO.

---

HELMSTADII  
LITERIS HAMMIANIS.  
A. MDCCXII.